





*Laurentius Muntaner f.*



# BEATI

RAYMVNDI LVLLI DRIS. ILLVMI-  
nati, & Martyris, Tertij Ordinis Sancti  
Francisci.

# OPERA

PARVA TOMVS IV.


In quo continentur sequentes tractatus.

De Principijs  
Philosophiæ  
De Efficiente, &  
Effectu.



Liber Novus  
Physicorum,  
De Ente reali,  
& rationis.

*Superiorum permissu.*



Ex Typis Michaelis Cerdá, & Antich, &  
Michaelis Amorós Typogr.



M. D. CC. XXXV.

# BEATI

RAVANNATI L'AVANTI L'AVANTI  
DAMI & MARI...  
L'AVANTI.

# OPERA

TRAVIA L'AVANTI.

in un...  
L'AVANTI

L'AVANTI  
L'AVANTI  
L'AVANTI  
L'AVANTI

L'AVANTI

L'AVANTI  
L'AVANTI  
L'AVANTI

L'AVANTI  
L'AVANTI  
L'AVANTI

**APPROBATIO PER ILLUSTRIS**  
D. D. *Salvatoris Artigues Presbiteri,*  
*Artium Magistri, Philosophia pro Lu-*  
*lliana Doctrina excathedratici, Sacre*  
*Theologiae Doctoris, Sanctae Inquisitio-*  
*nis Qualificatoris, olim perpetui Par-*  
*rochi Villa de Artà, nunc Canonici*  
*Penitentiarij Almae Sedis Majoricarum*

**L**ibros *Lamentationis Philosophiae, no-*  
*vus Physicorum, de ente reali, &*  
*rationis, & de Efficiente, & effectu,*  
quorum Auctor est *Illuminatus Doc-*  
tor, & Christi Martyr *Beatus Raymun-*  
dus Lullus ex commissione *Perillustri*  
*D. Dn. Nicolai de Salas, & Berga Ar-*  
*tium Magistri, I. V. Doctoris, olim*  
*Litterariae Universitatis Rectoris, Ca-*  
*nonici, Vicarij Generalis, & Officia-*  
*lis &c. perlegi, & accuratè examina-*  
*vi. In ipsis contra Fidei dogmata, &*

probi-

probitatem nihil comperi; immo the-  
saurum desiderabilem scientiæ, in quo  
sapientia posuit tabernaculum suum,  
& per quem incomprehensibilis Deus  
apprehensibilis apparet, & colitur,  
cum admiratione pervolvi. Idcirco ut  
iterum prælo mandentur dignissimos  
censeo. Salvo &c. Palmæ Balearium  
die 10. Novembris 1744.

*Dr. Salvator Artigues.*

Reimprimatur. Reimprimatur.  
*Can. de Salas V. G. S. V. Sierra Reg.*

*MO-*



## MONITIO AD LECTOREM.

**S**Icut olim Averroistæ fuere, quorum Sententiam ferre nullatenus potuit N. Illuminatus Dr. ideoque jam octogenarius Viennam petivit, ubi Concilium celebrabatur, ut Averroistarum sententiam relegaret, quod fuit consecutus: sic temporibus istis orta sunt nova Sythemata Philosophica Theologiae Contraria, sicut Averroistarum; sed antiqua veritas Philosophica, & Tomis præcedentibus, & hoc, & Proverbijs Naturalibus noviter hic impressis firmissimè solidatur.

Vale.

MONITOIO AD LECTORES

Quia omnia Antiqua monumenta  
sunt in perniciem hominum  
et in perniciem rerum  
et in perniciem civitatum  
et in perniciem imperii  
et in perniciem mundi  
et in perniciem omnium  
et in perniciem universi  
et in perniciem omnium  
et in perniciem universi  
et in perniciem omnium  
et in perniciem universi

Vol.

# DEVS

CUM TUA ALTISSIMA SAPIENTIA,  
& Virtute Incipit Liber Lamenta-  
tionis Philosophiæ.

**PRINCIPVM ILLUSTRISSIMO,**  
*ac Francorum Serenissimo Regi Domino  
Philippo Jesu-Christi munere ejusque ad-  
mirando juvamine Regalium corona ex-  
cellentissima refulgenti, ejusque dono tam  
naturæ bonis quàm animæ mirificè deco-  
rato: Philosophia ejusque Principia duode-  
cim, maximo fructuosa salutis incremento  
diutissimè gratulantur.*

## PROLOGVS.



Uoniam certum dignosci-  
tur, apud illum esse impe-  
trandum auxiliũ, qui potes-  
tatis claritate triumphat, te-  
que inter Christianitatis  
Reges præ ceteris fulgentem  
noverim potestate, Christianæquæ Fidei ze-

A

lo

lo quàm maxime, & charitate: ideò ad te recurro, tamquam ad ultorem condignum, columnamque maximam veritatis pro iustitiæ auxilio impetrando, de injuria mihi ab Averroistis, in his, quæ sunt contra Fidem illata, asserentibus, quod secundum meum modum intelligendi, vel secundum intelligibile, quod est meum subjectum, Fides Catholica est erronea, atque falsa; sed per credere, ipsam veram esse dicunt; & ideò faciunt mihi valde magnam injuriam, quia meus intellectus non implicat per intelligere quantum possum, & de cetero dicunt se credere Catholicam Sanctam Fidem, & dicunt quod non intelligunt ipsam esse falsam. Se autem excusant quod non possunt intelligere, quod Virgo posset parere Filium, nec quod de nihilo fiat aliquid, & sic de alijs Articulis Fidei; quod concedendum est, quoad sensum, & imaginationem; sed non quoad duodecim Imperatrices Divinas, in libro de Natali tactas, Quæ sunt de Principijs Theologiæ. Et Deo existente subjecto ipsius Theologiæ, possunt agere ad placitum, quod virgo pariat

3

riat filium, & hujusmodi. Ego autem dupliciter sum Philosophia; videlicet primò, dum cum sensu, & imaginatione meus intellectus causat scientiam; post autem cum duodecim Imperatricibus, quæ sunt hæ: Divina Bonitas, Magnitudo, Eternitas, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Justitia, & Misericordia. Cum istis autem sum superius, & habeo coronam auream, & cum sensu, & imaginatione inferius, habeo argenteam.

Ait Philosophia suspirando, atque lacrymando, confiteor coram istis meis Principijs, quæ sunt: *Forma, Materia, Generatio, Corruptio, Elementatio, Vegetatio, Sensus, Imaginatio, Motus, Intellectus, Voluntas, & Memoria*, quod nunquam concepi fraudem, neque dolum, neque deceptionem contra Theologiam; immo confiteor, quod sum ancilla ejus, ut per ea quæ concipio per animam, intelligam entia realia, & laudem, & benedicam Deum, & per Imperatrices duodecim de esse Dei notitiam habeam, atque de ejus intrinseca operatione, & sic de suis Imperatricibus,

& ac-

& actibus earum. Heu mihi, tristiter, & dolorosè, ait Philosophia, numquid vos mea Principia scitis, quod ego talis non sum? Omnia responderunt ( nisi intellectus qui tacuit ) dixeruntque, quod ipsa erat vera, & legalis ancilla Theologiæ. Et tu intellectus ( ait Philosophia ) quid dicis? Respondit intellectus: ego sum quasi totus peruersus, cum Parisijs sit meus discursus in Opinionibus; & ideò, quid dicere possum? Meum lumen debet esse per claritatem, & veritatem; sed est offuscatum, & tenebrosum per falsos errores Philosophorum, qui ita me suffocant, quod vix possum habere anhelitum, & virtutem; aliud remedium non video nisi, ut Dominus per Regem Francorum me iuvet, & in brevi; quia errores crescunt, & veritates suffocantur. Parisijs autem est fundamentum, cum sit fama quod magis sum in ipsa, quàm in aliqua alia Civitate.

Philosophia lamentabatur, & dolebat, & alta voce clamabat: heu mihi, ubi sunt Religiosi viri bene litterati & devoti, & etiam alij qui me juvent? Dum sic Philo-  
sophia

sophia clamabat, suspirabat & lamentabatur, accidit, quod Raymundus, Contritio, & Satisfactio exhibant urbem loquentes de perverso statu mundi in quodam amenissimo prato sub quadam arbore supra quam plures aviculæ cantabant, & invenerunt Philosophiam, & sua Principia supra tacta, quæ stabat ibi, ut acciperent aliquam recreationem à pulchritudine arboris, & garritibus avicularum, & etiam ibi erat fons valde pulcher. Dominæ autem supra dictæ & Raymundus quæsierunt ab ea, quare tam fortiter lamentabatur & dolebat? Ipsa autem dixit causam, & narravit eis ea quæ supradicta sunt. Hoc dicto, Philosophia rogavit Raymundum & Dominas, quod irent ad Regem Francorum & dicerent ea quæ audiverunt, & quod poneret remedium, & imponerent in Rege conscientiam, nisi hoc faceret; sed Dominæ & Raymundus voluerunt ante scire statum suorum Principiorum. Placuit Philosophiæ & dixit, quod *Forma* primò de se ipsa loqueretur, & tali modò quod Dominæ & Raymundus de ipsa notitiam habere possent.

CAP.

CAP. I.  
DE FORMA.

I **A** It forma: *ego sum ens quod do esse rei*. Et sum absoluta & primitiva eò quod cum materia prima constituo unam substantiam generalem totius universi.

Dixit forma, sum absoluta compositio ex forma *Bonitatis, Magnitudinis, Durationis, Potestatis, Instinctus, Appetitus, Virtutis, Veritatis, Delectationis & Perfectionis*. Ex omnibus principijs innatis, activè sum una forma absoluta activando. Sum per Bonitatem, Magnitudinem, & sic de alijs principijs innatis ex quibus sum constituta, & sic sum absoluta.

2 Sum forma dupliciter, scilicet *substantialiter & accidentaliter*, & sum ens in potentia ad omnes formas particulares, me existente actu, & ex mea essentia exeunt substantiales formæ evenientes in esse, & de me & de ipsis formæ accidentales sunt progrediētes, & in me & in ipsis sunt sustētatæ & permanentes, & ideò sum absoluta forma.

Ait



3 Ait forma. Sum substantia in potentia, hoc est quod cum materia constituo unam substantiam, & ideò formæ particulares secundum viam generationis primò existunt in *potentia*, & post existunt *actu*, & hoc activando.

4 Dixit forma. Non sum privatio, eò quod sum ens existens *actu*; sed ratione generationis & corruptionis meæ formæ particulares quandoque sunt *antiqua*, quãdoque sunt *nova*; quoniam si essem privatio, ratione transmutationis devenirem in non esse, quod secundum meam naturam est impossibile, eò quod non sum composita ex contrarijs, immo ex concordantibus, ut suprà tactum est; ens autem absolutum per nullam partem contrariam privari potest.

5 Ait forma. Immò in quantum sum *actio* absoluta, ab omni materia sum denudata; aliter non essem absoluta actio; meæ autem formæ particulares in quibus sum diffusa & extensa per omnia individua, ideo à materijs particularibus sunt distinctæ, eò quia a ctivæ sunt existendo & agendo; ali-

ter

ter aliquo modo materia haberet *actionem* & ego *passionem* sub ipsa, quod est impossibile.

6 Dixit forma: ego tota sum in materia activando, & materia tota in me passionando, & ideò sum connexa cum ipsa in substantia, & nostra accidentia sunt connexa, aliter non essemus una substantia extensa & continua, quòd est impossibile.

7 Ait forma: quia sum in prima materia, & in omnibus materijs particularibus, & sic de meis particularibus formis activando, oritur ex me substantialis *actio*, & vera *actio predicamentalis*, cum qua ago in primam materiam & in omnes materias particulares: & à materia prima oritur *passio predicamentalis*, & ex ambabus oritur motus generalis *activatus* per meam naturam, & *passionatus* per suam, cum quo motu sunt motæ substantiæ existentes in *potentia* cum suis accidentibus ad esse *actuale* novum genitum, & ratione corruptionis antiquatur privatio & novatur positio & hoc incessanter.

8 Dixit forma. Ego & materia unam analogiam

logiam constituimus, tamen ego primiti-  
vè, & ipsa materia ex consequenti; & ra-  
tio hujus est, quia in motu sum inceptiva  
ratione actionis, & materia est consequutiva  
ratione *passionis*, & hoc, quia finis ejus  
sum, cum sim propter me, & ipsa non  
propter se, sed propter me; ideò antequam  
ego deficiam, ipsa deficit in particularibus,  
cum non sit capax ad recipiendum totam  
meam actionem, quo ad inferiùs, nec eti-  
am quoad superiùs, cum ipsa sit absoluta  
passio per naturam.

9 Rursus dixit forma. Ego sum similitu-  
do Dei, & materia est sua dissimilitudo,  
cum Deus sit forma, & non materia, ad  
quod sequitur, quod ego sum magis bona,  
magna durabilis potens intelligibilis & a-  
mabilis, virtuosa, vera, perfecta & glo-  
riosa, quàm materia, & ideò sequitur, quod  
possum magis in materiam agere, quàm  
materia possit pati: sed tale magis agere  
est in me in potentia, & non possum ipsum  
reducere ad actum, quia materia non po-  
test tantum pati; ad quod sequitur, quod  
mea essentia est intentà per Bonitatem,  
Magni-

Magnitudinem, &c. & materia est extensa, & quod in corruptione, materia, ante incipit deficere quàm ego; in generatione autem, ego sum primitiva, & materia consequutiva, & ideò sum magis profunda quàm materia, cum sim similis formæ Divinæ, quæ est profunda quoad sua correlativa, videlicet quoad Divinas Personas, & sic de Divina Bonitate, quæ est profunda quoad sua correlativa ratione cuius, mea Bonitas est magis profunda quàm Bonitas materiæ, & sic de Magnitudine, & alijs.

10 Ait forma. Sum una in numero privativè, hoc est quod corrupta una forma individui, restauror in alio individuo genito, & hoc absolutè; & ideò, posito quod omnia individua essent corrupta, ego essem restaurata in meo singulari numero & natura. Et hoc patet per istud exemplum: posito quod de una massa argenti fieret una scutella, & unus scyphus, post modum ponerentur in fornacem, corruptis figuris eorum, non corrumperetur argentum, & essent in ipsa in potentia, alius scyphus, &

alia

alia scutella, vel cochlea, & hujusmodi.

11 Ait forma: Ego sum conservans substantiam *activando*, & hoc quia sum finis & materia *passionando*, cum se habeat ad me: & ideò in ipsa conservatione absoluta sum primitiva; materia autem consecutiva, ad quod sequitur, quod sicut generatio substantiæ consistit per me primitivè, sic corruptio consistit primitivè per materiam, & in tanto; quod ego non deficerem in conservando & activando, si materia posset sustinere, in tantum passionando ipsam conservationem: ad quod sequitur, quod materia est magis circa privationem, quàm ego in substantijs corruptibilibus.

12 Iterum ait forma: sicut dictum est de conservatione substantiali: ita suo modo intelligi potest de accidentali: ut de albedine contracta in albo, & de nigredine in nigro, & hujusmodi, quoniam albedo est forma accidentalis, non materia; & ideò, cum sim forma substantialis mihi competit conservatio formæ accidentalis, non autem materiæ, & quando corrumpitur albedo

bedo in albo, corruptio primò est ex parte materiæ.

13 Ait forma: Ego & materia intrinsecè constituimus substantiam individuatam, & ipsa incipit per me, & deinde est per materiam, & accipit augmentum & extensionem per me activando, & per materiam passionando, & in tantum se extendit augmentatio, quantum potest pati extensio materiæ: ad quod sequitur communis quantitas intensa & extensa, intensa per me, extensa per materiam.

14 Ait forma. Ego sum recepta activando in particularibus & materia recipiens, & sustinens, & hoc patet per istud exemplum: ignis calefacit àèrem, & in quantum calefacit ipsum, facit se receptum activando, & ponit àèrem recipientem caliditatem passionando, & appetit àèr ipsam passionem per materiam, & ignis actionem per suam formam.

15 Ait forma: Ego sum ens comparative *actiu*, & materia est ens in *potentia*, ut patet per istud exemplum: in ovo est animal in potentia, & in ferro gladius, &

hoc

hoc ex parte materiæ, quæ expectat meam actionem, & hoc est, quia naturaliter sum primitiva per actionem, & materia consecutiva per passionem, ut supra dictum est; & ideò competit mihi esse *actu*, & Materiæ esse *potentia*.

16 Ait forma: ego sum ens determinatum cum sim activa; materia autem est ens confusum, cum sit potentia, ratione cujus confusionis, est confusio in potentia, ratione materiæ, non autem ratione mei.

17 Ait forma: Ego sum ens perfectum, & ideò sum appetibilis à materia, ratione cujus appetibilitatis, in communi appeto agere in materiam, & materia pati: ad quod sequitur, quod materia per me est perfecta, & non per se.

18 Ait forma: sum mota per formas particulares, una forma particulari genita de alia sub meis principijs innatis supra tactis motis per principia Divina, ut mea Bonitas per Bonitatem Divinam, mea Magnitudo per Magnitudinem Divinam, & sic de alijs, & hoc effectivè, quoniam quantò magis subsisto sub ipsis, tantò magis sum alta, & sublimis.

Ait

19 Ait forma: sum mota per *octavam spheram*, quæ movet me in Saturno, &c. sum mota per elementa, & per elementata, & per corpora cœlestia sum cœlestiata: per elementata, sum elementata, per vegetata, vegetata, per sensata, sensata, per imaginata, imaginata. Sum in aqua frigida, mota in quantum sum potentia ad essendum calefacta, in albedine per album sum albificata, & mota in generatione & corruptione; non autem sum mota à privatione, ut supra dictum est.

20 Rursus ait forma: non sum ens existens inter esse & non esse, quia si sic, non ens jam esset ens, quod est contradictio; veruntamen per accidens sum circa non ens in substantia existente in potentia & non actu, & sum veniens in corruptionem quoad suum numerum novatum.

21 Iterum ait forma: de me sunt omnes formæ particulares, & una est de alia secundum viam generationis; aliter una forma non appeteret aliam ad multiplicandum suam speciem, nec esset subjectum in quo esset motus successivus; & omnia ista  
essent



essent contra meam naturam.

22 Rursus ait forma : finita sum, & omnes meæ partes individuatae sunt, & finitæ, potens sum naturaliter, sed impotens respectivè quoad primū ens, quod habet posse infinitum & super me potest agere miraculose ad placitum. Multa alia dixisset forma de se ipsa; sed dimisit causâ brevitatis, dicens, quod omnia sunt implicata in eis, quæ de se ipsa dicta sunt; & hoc relinquimus intellectui scientifico subtiliter intuenti.

## CAP. II.

### DE MATERIA.

1 **A** It materia: *Ego sum ens ex quo fit aliquid passionando, & hoc substantialitèr & accidentalitèr, quia dux sum; quoniam ex me, quæ sum primitiva fit materia particularis, quæ est substantialis pars substantiæ, ut materia rosæ, equæ, & huiusmodi; accidentalis autem sum, sicut ferrum quod est in potentia ad gladium; & Grammatica ad non Grammaticum.*

2 Ait materia: *Ego sum ex passiva Bonitate,*

tate, Magnitudine, Duratione, Potestate, Instinctu, Appetitu, Virtute, & hujusmodi. Et ex omnibus istis passionibus cognatis sum composita, & per totum cœlum, & etiam per omnia elementa, & elementata sum extensa, atque mota, & ad meam nudam essentiam & quo ad meum numerum, & ideò ubicumque sim, sum benè, magnè, &c. passa & mota sub forma prima, cum qua sum conjuncta, & cum ipsa, una substantia, in qua omnes substantiæ corporales sunt inclusæ; sed maximè sum mota, & passa sub forma prima, quæ est Deus, qui cum sua bonitate passionat meam bonitatem, & cum sua Magnitudine, meam Magnitudinem: ipse est meus finis, mea causa prima, & ego sum effectus simpliciter ejus, contra quem non habeo potestatem, nec resistantiam, quia si sic, essem activa, rebellis, & inobediens: & passio finita passionaret actionem infinitam, quod est impossibile. Potest ergo Deus agere de me sive per meam naturam, sive suprâ meam naturam miraculosè, ut cognoscatur sua Magna potentia & virtus infinita & infinita

ta

ta libertas suæ voluntatis infinitæ, & etiam suum dominium.

3 Ait materia : sum absoluta passio sub absoluta forma, sub qua sum conjuncta, & sicut ex mari derivantur omnes aquæ fluviales, & ad ipsum revertuntur: sic à me derivantur omnes materiæ particulares & ad me revertuntur, quia absoluta sum.

Rursus ait materia : non sum ens existens in potentia absolutè, quia si sic, subjectum in quo essem sustentata, esset in potentia, & sic successivè in infinitum, quod est impossibile. Sum ergo ens existens in potentia ad omnes substantias particulares sub formis particularibus existentes.

4 Iterum ait materia : sum substantia in potentia per hoc quod de me & per me sum pars substantiæ, & sine me, substantia esse non potest. Substantia, quæ sum in potentia, est eveniens per *generationem*, aut per *artificium*, per generationem sicut rosa in rosario, in quo est in potentia; per artificium autem, sicut est in partibus domus, in quibus domus existit in potentia antequam sit constructa.

B

5 Ait

5 Ait materia non sum privatio, sed sum potentia ad privationem; quoniam per meam impotentiam privantur materiæ particulares per viam corruptionis, ad quod sequitur privatio formarum particularium, ut in Capitulo formæ tactum est.

6 Rursus ait materia: in mea natura non invenitur forma, quæ sit ex me, atque propter me, quia si sic, non essem passio *absoluta*, & *secundum id* meæ partes essent à mea essentia, & natura privata, quod est impossibile, cum sim simpliciter absoluta.

7 Iterum ait materia: absoluta sum & inquantum sum absoluta non sum in partibus novata; ipsæ autem materiæ particulares sunt novatæ inquantum de potentia in actum sunt motæ, & quando corrumpuntur non sum novata privatio, quia sum absoluta; ipsæ autem cum sint particulares in privatione sunt novatæ.

8 Ait materia: individuata sum per quantitatem cum qua sum *quanta* scilicet longa, lata, & profunda, aut in circulo vel in corpore spherico rotunda. Sum qualificata, ut in flamma lucefacta, calefacta, & in vino rubro

rubro rubefacta, & in melle dulcificata, & in terra ponderosa, & in igne levificata.

9 Rursus ait materia: sum relata quia sum passiva sub forma activa, & sum relata *substantialitèr*, & *accidentalitèr*, substantialitèr sicut in generatione, in qua generans generat genitum; accidentaliter sicut in mæcanicis, in quibus faciens facit sive fabricat factum sive factibile & hujusmodi.

10 Ait materia: habituata sum *habitu* sub quo sum passionata & de una specie in aliam mota, sicut mea passiva Bonitas, quæ sub mea passiva Magnitudine est Magna, & è conversò, & sic de alijs meis principijs passivis innatis.

11 Rursus dixit materia: *situata* sum in circulo in cœlis, in elementis, & in elementatis; meus autem situs est abstractus, qui in pluribus sitibus particularibus est diffusus, ipso permanente in se ipso absolutè.

12 Item ait materia: in tempore sum, & in ipso tempore sum mota successivè extrà differentiam inter unum nunc & aliud; aliter non essem in motu successivè continuato. Veruntamen, secundum, quod sum  
recepta

recepta in meis partibus passivis, in uno tempore sum in uno particulari mota, & in alio, in alio particulari, me remanente essentia indivisa, eò quod meus motus est absolutus & per consequens mea essentia.

13 Rursus ait materia: in loco absoluta sum, & in quantum sum in particularibus diffusa & contracta in locis particularibus sum collocata, & mediantibus meis partibus de uno loco ad alium mutata, me remanente absoluta in meo loco absoluto collocata, & ipse locus in me est passionatus, & non extra me extensus, cum sit una pars de meis accidentibus, cum quibus sum conjuncta.

14 Ait materia: sum prima quo ad meam essentiam, eò quod sum absoluta, ut supradictum est, & nisi essem cum prima forma conjuncta, ipsa existente prima, non haberem cum quo essem primitiva passio, & sic non essem prima materia, & hoc patet, quia mea primitiva passiva Bonitas Magnitudo, &c. non esset conjuncta cum primitiva actione Bonitatis Magnitudinis, &c. & sicut sicut privatà primà formâ, una parti-

cularis

cularis forma non posset esse genita de alia: sic etiam, si ego non essem materia prima, una materia particularis non posset esse genita de alia, & corruptâ unâ, esset sua essentia corrupta, & in universo esset vacuitas genita, & etiam discontinuatio, & etiam cessatio motûs, & per consequens annihilatio successive totius universi, quod est impossibile. Probatum est ergo primam materiam esse.

15 Ait materia multa alia possem dicere de me, sed longum esset narrare, & per ea quæ de me dixi, possunt intelligi quæcumque de me possunt dici.

### CAP. III.

#### DE GENERATIONE.

**A** It generatio: Ego sum esse exiens, & eveniens, & per meum exitum plura esse sunt exeuntia, & evenientia me exitâ, & eventâ cum meis proprijs correlativis, ut absolutum *generans generabile*, & *generare*, cum quibus sum hoc quod sum. Tribus modis maximè sum  
 exita,

exita, & eventa ex meis principijs innatis, quæ sunt *Bonitas*, *Magnitudo*, *Duratio*, *Potestas*, *Instinctus*, *Appetitus*, *Virtus*, &c. quodlibet istorum est relatum naturalitèr, & ex ipsis relationibus sum exita & eventa. Primò exiens substantia in potentia. Secundariò substantia exita & eventa de potentia in actum. Tertiò de extrà ad intrà ut nutrimentum, augmentum & hujusmodi.

2 Sum substantia exiens in potentia genita cum meis accidentibus, & existens in potentia in lapide, ferro, motu, & spica in grano, & sperma in animali, & hujusmodi. Est flamma genita de potentia in actum, & sic de spica & hujusmodi, & hoc quia generans generat in sua propria passione, quæ est generabilitas, mediante generare in tanto, quod forma particularis est genita de forma universali, & materia particularis de materia universali, & particulare connexum de connexo universali, & omnia ista per meam fecunditatem & naturam, quæ sum absoluta derivata à primis principijs; ut dictum est, & à fecunditate



ditate ipsorum . Flamma genita, sive spica genita in actu vivit, nutritur & augmentatur, secundum ea, quæ recipit ab extrâ. Ut flamma in lampade de oleo vivit, & in ipsa est alia flamma in potentia, si addatur, lychnum per contactum, & sic de grano seminato in terra, in quo sunt plura grana in potentia, & exeunt in actum per me, & in me, vegetativâ augmentante transmutando elementata in suam speciem. In grano seminato est humidum radicale & nutrimentale existens actu, & ex radicali generantur plura humida radicalia, & ex nutrimentali plura nutrimentalia in granis spicæ, & hoc per me benè, magnè, durabiliter, potenter, &c. *formaliter* & *materialiter*, mediante motu genito de potentia in actum.

3 Ait generatio: dixi de generatione, quæ consistit in flamma & in plantis, modò intendendo dicere de generatione, quæ consistit in animalibus, & hoc sic: ovum genitum fuit in potentia in gallina, & hoc per gallum, & fuit deductum in actu, ipso existente actu, est in ipso alius de potentia deduci-

ducibilis in actum per motum, & augmentationem principiorum innatorum, & hoc quia bonus & magnus est suus exitus & eventus: pullus genitus existens actu, exit ex ovo elementatus, vegetatus, & sensatus, & ipse comedens granum aut herbam vivit & nutritur de eis, quæ ab extrâ veniunt. Granum est elementatum & vegetatum in sua natura, & est deductum in humidum nutrimentale pulli; & humidum radicale est tamquam lychnum, ut ita loquar, vivens, & sic ipsum multiplicans per humidum nutrimentale, sicut flamma per oleum in lampade. Pullus est sensatus quia sensitiva est una pars ejus, & in ipso fuerunt in potentia, actus sensitivæ, ut videre per visum, audire per auditum, & hujusmodi, & reducuntur ad actum per me, quia bonum, magnum, &c est. Pullus videt in grano figuram, colorem, & hujusmodi, & ideo visibilitas grani non sensati per accidens est genita; aliter non haberet pullus ad granum, quæ visibilitas est genita per me.

4 Ait generatio: & per meam Bonitatem

Mag-

Magnitudinem, &c. sunt in me genita principia superiora innata, ut supra dictum est. Dum pullus comedit granum sive herbam generatur sapor & hoc per me & meam Bonitatem & Magnitudinem, &c. sapor autem non est in grano in potentia nisi per accidens; sed propriè est per sensum genitus & deductus de potentia in actum. Pullus est imaginatus per imaginativam, sicut per sensitivam sensatus: & ideò actus imaginationis consistit in potentia, & reducitur ad actum per species abstractas à sensibus, & ideo gallus imaginatur locum ubi comedit granum, & sic de fonte, ubi potavit.

5 Ait generatio: sicut dixi de pullo, ita potest dici de spermate in matrice mulieris, & hujusmodi, in quam venit semen cum humido radicali, & nutrimentali. Radicale autem vivens mediante humido nutrimentali, & menstruo mulieris movente se augmentando, lineando figurando, & hujusmodi, & hoc per me, quia per meam Bonitatem bonum est, & per meam magnitudinem magnum est &c.

6 Ait

6 Ait generatio, pullus non vivit in aqua sicut piscis, nec piscis in terra, sicut pullus, & sic de salamandra quæ vivit in igne, & non in aqua neque in terra, & hoc quia sum diffusa, & fecunda per plures modos. Unde cum ita sit, quid mirum, si justitia Dei extra meam naturam, sive suprà agit de me ad placitum conservando corpora damnatorum in clibano sempiterno, sicut ignis qui conservat salamandram in sua flamma, in qua, salamandra est genita nutrita, & augmentata, & maximè quia Justitia Dei est magis bona, magna &c. quàm ego sim sinè comparatione.

7 Ait generatio: multa dixi, & plura dicere possem de memetipsa naturaliter secundum substantiam, & accidentia in quibus sum diffusa, & extensa, & hujusmodi bene, magnè, potenter &c. sed volo dimittere istam materiam, & transire ad generationem virtutum, & hoc sic. *Justitia est habitus*, ait generatio, *sub quo Justus justè agit*. Et est per me genitus, & primò in potentia positus, & secundariò in actum deductus, & objectivè per animam

hu-

humanam nutritus, & augmentatus. Ipse habitus est descensus ab influenza, & fecunditate principiorum innatorum quæ sunt Bonitas Magnitudo &c; Anima autem objectando species justæ, recolendo intelligendo, & amando generat illum de ipsis speciebus collectis, & hoc est possibile, quia bonum magnum &c. est, quòd bonum magnum est datum à principijs primitivis divinis, ut à Bonitate Magnitudine &c. ut anima habeat justum intelligere recollere, & amare, cum quibus causet justum sentire videndo, audiendo &c. & justum imaginari objectum, & omnia ista descendunt à Justitia Divina quæ est causa primitiva & finis, ut gentes habeant pacem & justitiam invicem, & sint dispositæ ad benè agendum, & malum evitandum.

8 Ait generatio: *Prudentia est habitus sub quo Prudens prudenter agit eligendo bona & evitando mala, & ante eligendo bona magna, quàm parva, & ante dimittendo magnum malum, quàm parvum, & omne malum simpliciter si possit. Ipse habitus per me est genitus, & est decisus si-*

cut

cut ramusculus à sapientia quæ est superior, quæ causat ipsum de similitudinibus; postmodum per me & per hominem est deductus de potentia in actum mediante me, ut prudenter agat per animam objective & movendo potentias inferiores ad utilitatem corporis sentiendo & imaginando, ut anima sit disposita ad agendum sub habitu Prudentiæ. Ipse homo prudens est recipiens similitudines entium bonas & malas, bonas eligens per exemplum, & sic de malis evitando ipsas.

9 Item dicit generatio: *fortitudo est habitus, per quem habituatus est fortis corde, maximè causatus per voluntatem, quæ tendit ad suum finem primitivum optatum sub ipso. Voluntas habens pænas & languores, per ea quæ eveniunt contrà suum agere; per ipsum habitum est fortificata & quietata in suo vigore. Ipse habitus est genitus de similitudinibus objectatis per voluntatem, mediante me, in quantum in potentia est positus, & per agentem, ut per hominem, per me & per ipsam voluntatem est deductus, practicatus existens actu sub ipso habitu.*

bitu. Homo est bellicosus contrà vitia cum virtutibus junctis & connexis fortitudini, in tantum, quod sensus nec imaginatio non possunt resistere per videre audire &c.

10 Rursus dicit generatio : *Temperantia est habitus sub quo temperatus temperatè agit, comedendo, bibendo, induendo, & hujusmodi.* Iste habitus est ramus Justitię ratione æqualitatis ut homo sanè vivat: & hujusmodi habitus est genitus de similitudinibus collectis per animam, & de potentia in actum est deductus per hominem, & per me; ipse autem habitus vivit, & durat tantum, quantum est fœcunditas potentiarum animæ, quas temperatè objectat, sicut objectare debet : & hoc benè, magnè, durabiliter, &c.

11 Item dicit generatio : *Fides est habitus à Deo datus, per quem intellectus intelligit super vires suas ea, que per suam naturam attingere non potest,* ut articulos Fidei, & hujusmodi, ipso habitu remanente, eò quia est genitus de similitudinibus superioribus, ut de similitudine Divinæ Bonitatis, Magnitudinis &c. Ego in hoc,

non

non sum generativa naturalitèr, sed dispositiva instrumentativa sub gratia divina. Per ipsum habitum consistit credere, & sub credere intelligere. Nam quantum ipsum intelligere ascendit ad objectum superius, tantò magis ascendit credere super ipsum, sicut oleum super aquam, quoniam quantò plus aqua ascendit, tantò plus oleum ascendit super ipsam; & ideo intellectus per intelligere, & per credere idem objectum attingit, sed diversimode, scilicet magis per credere quàm intelligere.

12. Rursus ait generatio, *Spes est habitus sub quo sperans sperat adjuvamentum, & veniam à Deo*: ipse habitus est datus à Deo, & ego sum instrumentum in generando spem mediante anima objectivè, ipse habitus est nuncius inter Deum & hominem, & est fecundatus per divinas rationes in meis principijs innatis. Ipse habitus est delectatio hominum & consolatio, posito quod sit formatus. Non dico de illo habitu spei deformato sub quo peccatores permanentes in peccato credunt se habere



habere à Deo adjuvamentum & veniam; talis autem habitus est spurius, eò quod deformatus est, & non genitus de illis similitudinibus, de quibus spes vera est genita, quæ sunt de meis principijs innatis.

13 Item dicit generatio: *Charitas est habitus sub quo homo Charitativus diligit Deum super se ipsum, & proximum suum tamquam se ipsum.* Ipse habitus à Deo datus est: Voluntas humana & ego non sumus sufficientes ad generandum ipsum, cum sit super vires Voluntatis existens & permanens: veruntamen ego sum dispositio ad colligendum habitum charitatis & ad ipsum generandum, & divina voluntas ponit ipsum in potentia, & mediante voluntate de ipso habituata deducit ipsum de potentia in actum ut agat sub illo habitu bene, Magnè, &c.

14 Rursus ait generatio: *Sapientia est habitus à Deo datus, qui exaltat intellectum dando ei scientiam infusam, ut ascendet super prudentiam dispositam per inferiora & ut existat ita altus & ita benè dispositus ad intelligendum vera per ipsum*  
habi-

habitu, sicut voluntas per charitatem: sine autem tali habitu esset intellectus injuriatus in via, cum sit ita alta potentia causata per divinum intellectum, sicut voluntas humana causata per divinam voluntatem, sub isto autem habitu agit sapienter intellectus, ego autem præparo ei species quibus utitur.

15 Ait generatio: dixi de septem virtutibus principalibus, & per ea quæ de ipsis dixi, possunt cognosci quæ sunt essentiæ ipsarum, quomodo generantur, crescunt & nutriuntur: & sic de virtutibus quæ ab ipsis derivantur, ut humilitas, patientia, constantia & hujusmodi, & ista scientia est valde præparativa ad acquirendum vitam æternam, cum virtutes sint viæ ejus.

#### CAP. IV.

#### DE CORRUPPTIONE.

**A** It corruptio: *sum virtus ab esse in non esse.* Et ideò me habeo contradictoriè ad hoc, quod dictum est de generatione. Ait corruptio sui duplex, uno

uno modo *simpliciter*, alio modo *secundum quid* & *accidentaliter*. Simpliciter, ut quando aliquid amittit esse substantiale, sicut quando homo amittit formam substantialem. Secundum quid, ut quando aliquid amittit formam accidentalem v.g. albedinem, quam habeat; & dicitur corrumpi secundum quid, quia secundum illud accidens quod est albedo corrumpitur.

2 Rursus ait corruptio: quando substantia consistit in potentia cum suis accidentibus per viam generationis, ut dictum est, & ego sum ibi in potentia, ut in ovo, in quo animal est in potentia, si frangatur illud ovum corrumpitur illa potentia, & ego sum exiens de esse in privationem ipsius animalis.

3 Ait corruptio: Corrumpitur flamma in lampade quando deficit oleum: dum durabat flamma ego eram in potentia: corruptâ flammâ, sum deducta in actum. Granum in area habet spicam in potentia, & ad consequentiam contrariam ego sum in ipsa in potentia: & quando granum est seminatum, & spica est genita, per me granum

num est corruptum quo ad suum numerum, sua autem essentia transmutata est in pluribus granis, quæ sunt in spica genita, & in quolibet grano est alia spica in potentia per viam generationis, & ad consequentiam contrariam, ego sum in ipsis in potentia, & ideò sum successivè consequentia contraria generationi, & ipsa generatio evenit ad esse, & ego evenio ad privationem ipsius esse.

4 Item ait corruptio: in spermate deducto in matricem est animal *in potentia* per generationem, & ego sum in spermate *in potentia* per viam privationis, quoniam genito animali corrumpitur sperma, & esse ipsius spermatis transit per viam transmutationis in aliam essentiam in qua essentia nova ego sum noviter in potentia: ad quod sequitur, quod generatio, & ego sumus connexæ, tamen aliter, & aliter, & hoc est necessè, ut motus naturæ sit continuus *de potentia in actum, & de actu in potentiam circularitèr.*

5 Rursus ait corruptio: pullus comedit granum in quo est spica in potentia: comesto

mesto autem grano (ait corruptio) ego sum deducta in actum successive privando potentiam spicæ & numerum grani; genita autem carne pulli de grano, ego sum in potentia in carne, & mortuo pullo, ego sum causa privationis ejus, & ideò ostenditur per quem modum generatio, & ego sumus contrariæ.

6 Ait corruptio: Multa alia possem dicere de me, sed per ea que dicta sunt, intellectus benè speculativus & activus potest cognocere alia, quæ de me possunt dici. Volo autem nunc transire ad virtutes morales & ostendere per quem modum corrumpuntur, & vitia generantur, eò quod sunt contraria.

7 Rursus ait corruptio: *Justitia* & *avaritia* se habent contradictoriè ( \* ) & ideò per illum modum per quem *Justitia* generata est, ut suprà dictum est, per oppositum generatur *avaritia*: dum autem homo est habituatus de *Justitia*, *avaritia* consistit in

po-

( \* ) *Contradictoriè* sumitur pro *contrariè* in toto rigore, vel intense, & notat Author *infra*.

potentia, & quando *Justitia* corrumpitur, *avaritia* exit de potentia in actum. Habitus autem avaritiæ est collectus, & genitus per malitiam contrà finem bonitatis, qui finis est deductus in privationem; & ideò avarus sub suo habitu est malus & extrà quietem, & retinet danda, & ejus appetitus est perversus infatiabilis & privativus.

8 Item ait corruptio: *gula* & *temperantia* sunt contradictoriæ, & ideò genitâ *Temperantiâ*, ego sum in subjecto in potentia, quia corruptâ *Temperantiâ*, genita est *gula*, & deducta de potentia in actum; & ideò ostensum est per quem modum habitus *gulæ* est de malitia genitus & perversus appetitus, ad quod sequitur, quod homo gulosus est sinè quiete, cum extrà finem sit deductus & privatus; & ideò quando multum comedit dolet respectu nimix comestionis, & quando parum comedit, & non habet quid comedat, etiam dolet, & semetipsum disponit ad infirmitatem, corruptionem & mortem.

9 Dicit corruptio: *luxuria* & *castitas* sunt contradictoriæ. *Castitas* est habitus genitus de

de similitudinibus principiorum innatorum, & luxuria de dissimilitudinibus eorum, & ideò similitudines virtutum, & dissimilitudines sunt contrariæ; ad quod sequitur, quod habitus castitatis, & habitus luxuriæ sunt habitus contrarij per bonam Magnitudinem & per malam, per bonam durationem & per malam, per bonam potestatem & per malam, per bonum instinctum & per malum, per bonum appetitum & per malum, per virtutem & per vitium, & per formatam veritatem, & per difformatam; per formatam dilectionem & per difformatam, per perfectionem & per imperfectionem, & hujusmodi.

10 Rursus ait corruptio: *Superbia, & humilitas* sunt contradictoriæ, & ideò quando generatur *humilitas*, corrumpitur *superbia*, & è conversò. Ad quod sequitur quod *humilitas* est contra omnia vitia quæcumque sint, & *superbia* contra omnes virtutes, & ideò sequuntur duo habitus unus contradictorius, & alius contrarius, & contrarius oritur à contradictorio, eò quod termini magis distent per *contradictionem*, quam

quàm per *contrarietatem*; ego autem, ait corruptio, sum intensa per *contradictoria*, & extensa per *contraria*: & in isto passu ostenditur, per quem modum generatio, & ego sumus *contradictoria*, & opposita in moralibus; unde, cum ita sit, homo superbus est habituatus de superbia contra sua principia innata, ratione cujus est inquietus, & quia homo humilis est habituatus de humilitate constituta de similitudinibus principiorum innatorum, est quietatus, patiens, benevolus, prudens, justus, & hujusmodi.

II Ait corruptio: *Fides*, & *infidelitas* sunt *contradictoriae*. *Fides* autem est habitus ( ut dictum est ) Cap. de generatione. *Infidelitas* est habitus constitutus ex similitudinibus *contradictorijs*, & ideò infidelis contradicit *Articulis Fidei*, & hoc duobus modis, scilicet *Credendo*, & *intelligendo*; sicut Sarracenus qui non credit Deum esse trinum in personis, & Verbum Divinum Incarnatum, & hujusmodi; alio modo sicut Averroista Christianus qui asserit quod secundum modum intelligendi, impos-



possibile est Deum esse *trinum in personis*, & *Verbum incarnatum*; sed dicit se credere quod Deus sit trinus & incarnatus, cum se dicat esse Catholicum, & ideò Catholicus & Sarracenus se habent contradictoriè; & etiam Catholicus, & Averroista, quoniam si verè & simpliciter est impossibile *Trinitatem* & *Incarnationem* esse, impossibile est veram esse Fidem Catholicam. Fides autem est habitus sub quo catholicus verus ponit altitudines divinarum rationum per infinitatem omnimodè simplicem, Sarracenus autem & Averroista negant; & ideo Catholicus ponit Deum esse habentem Bonitatem optimam infinitam, Magnitudinem maximam, infinitatem &c, & est Dominus naturæ creatæ licentians ipsam naturam, quòd ipsa agat naturaliter & quòd non sit aliquid resistens ei, & quod impediatur, quòd non possit agere supra naturam ad placitum & miraculosè, & hoc ponit Fides per infinitam bonitatem & Magnitudinem, &c. Ad quod sequitur quòd *Fides* est positiva, & *infidelitas* per se privativa; dico per se, quia

in-

intellectus per me est corruptus & perversus, & hoc, quia homo infidelis vilis est.

12 Rursus ait corruptio : *spes & desperatio* sunt contradictoriæ, Spes autem habitus genitus est, ut dictum est, & quia sum contra generationem, per me desperatio genita est, & est genita de contradictorijs principiorum Spei; Spes autem est contra me per Justitiam Prudentiam &c. & ego sum contra Spem per avaritiam, gulam &c; & ideo desperatus semper est in tristitia & dolore, quia suus habitus, qui est desperatio, est constitutus de multis malis magnis durabilibus &c, sub quibus habet carentiam de omnibus magnis bonis.

13 *Charitas & crudelitas* sunt contradictoriæ ad quod sequitur, quod crudelitas est habitus constitutus de similitudinibus contradictorijs principiorum, ex quibus est constituta Charitas, & ideo crudelis plus diligit semetipsum, quàm Deum, & semetipsum, quàm proximum suum; ad quod sequitur, quod finis appetitus est perversus, cum quo est contra Justitiam, Prudentiam &c, & est privatus omni quiete, & in faciendo

ciendo malum credit invenire quietem, sed non invenit, cum facere malum sit per habitum privationis & corruptionis.

14 *Sapientia & stultitia* sunt habitus, qui se habent contrariè, & sunt constituti de principijs contradictorijs ex quibus sequitur contradictio, & ideò stultitia potest cognosci per ea, quæ dicta sunt de Sapientia. Homo stultus habet intellectum perversum, cum qua perversitate, quando credit facere bonum, facit malum, & è conversò; homo autem stultus est meus magnus amicus, non autem homo sapiens, eò quia amicus est generationis in bonis, magnis durabilibus &c. Finivit corruptio sermonem suum & dixit quod satis àpèr-  
tè dedit notitiam de se ipsa, per ea quæ dicta sunt.

## CAP. V.

### DE ELEMENTATIVA.

1 **D**ixit. *Elementativa*: ego sum virtus naturalis progrediens à formis elementorum *substantialibus*, & *accidentalibus*, à substantialibus quia ex qua-

tuor

tuor formis elementorum sum constituta, & ab accidentalibus, quia ex quatuor qualitatibus sum constituta, ex *caliditate*, *frigiditate*, *humiditate*, & *siccitate*, & sic de alijs accidentibus: & sicut dixi de formis substantialibus: ita dico de quatuor materijs elementorum. Per formas autem sum *activa*, & per materias *passiva*, & ideò tota sum progressa ex ipsis, & tota in ipsis, permanens; elementa autem in quantum sunt habitus, sunt sub me agentia, & patientia in generabilibus, & corruptibilibus, secundum quod dictum est de *generatione* & *corruptione* & de *forma*, & *materia*.

2 Ait Elementativa: Principia innata elementorum sunt *Bonitas*, *Magnitudo*, *Duratio*, &c. & ipsa principia in ipsis existentia sunt in me contracta mediantibus elementis, ut habeam naturam ipsorum principiorum bonam magnam &c. sub qua natura sunt elementata metalla, plantæ &c.

3 Rursus ait Elementativa: Ignis est substantia simplex, & dicitur, quòd est simplex, per hoc quia habet suam formam, materiam, & accidentia specifica, & simpliciter

pliciter in ipso contracta, ut ex ipsis sit  
 substantia distincta ab alijs elementis: &  
 sicut dico de igne: ita intelligitur de sim-  
 plicitate aliorum elementorum, ad quod  
 sequitur quod mea natura est simplex, quam  
 simplicitatem deduco in elementata. Per  
 viam generationis elementa componuntur  
 invicem, ut patet per quatuor massas sen-  
 sibiles, ut flamma est calida & sicca, àèr  
 humidus & calidus, aqua est frigida &  
 humida, & terra est sicca & frigida. Aqua  
 in olla percussa à flamma est calida, & per  
 àèrem humida. Terra est per aquam fri-  
 gida, & per àèrem humida, & per flammam  
 calida. Per istas autem quatuor massas ait  
 elementiva sum composita, & habeo na-  
 turam compositam, quam compositionem  
 deduco in elementata per me composita,  
 sicut caliditas est propria passio sive qua-  
 litas ignis, & hoc simpliciter, & humidi-  
 tas aeris, & frigiditas aquæ, & siccitas ter-  
 ræ, quia sic ipsæ qualitates constituuntur  
 in me simpliciter, & quia per accidens  
 componuntur ratione compositionis ele-  
 mentorum: sic in me sunt compositæ, &  
 ipsæ

ipsæ secundum quod sunt in me, intrant elementata & in ipsis habent permanentiam.

4 Quatuor sunt colores principales, ait elementativa, scilicet: *luciditas*, quæ simpliciter est color ignis, *diaphanitas*, quæ simpliciter est color àëris, *albedo* aquæ, & *nigredo* terræ; & ideò isti colores sunt in me simpliciter, & quia componunt elementa, & ego sum composita, etiam ipsi sunt in me compositi, & ideò naturaliter deduco ipsos colores in elementata quoad simplicitatem & compositionem; colores autem *intensi* in elementatis *simplicitatem* significant; sed colores *extensi* & confusi significant *compositionem*.

5 Ait Elementativa: ignis & aer habent *levitatem*, aqua & terra *ponderositatem*, & per hoc sequitur motus à superiori ad inferius, & è conversò; & ratione obviationis per accidens habent naturam ascendendi, & è conversò, secundum magis & minus in subjecto in quo sunt, descendit: Et ex hoc generatur motus rectus & obliquus, & secundum quod sunt, & eveniunt in me, ego extensa per omnia elementata,

ta, caufo illos motus rectos & obliquos.

6 Rurfus ait Elementativa : quia quatuor funt elementa, & quodlibet agit in aliud, ut ignis in aerem calefaciendo, & aer in aquam humectando, & aqua in terram frige-  
faciendo, & terra in ignem deficcando, oritur motus circularis continuus ; & quia mea effentia eft ex ipsis, meus motus in parte eft circularis naturaliter, quam natu-  
ram pono in elementatis.

Dixit Elementativa : per ea que dicta funt per me & de me cognofcitur mea effentia, & mea operatio in elementatis, nutrimentum, augmentatio, generatio, corruptio, & hujufmodi.

## CAP. VI.

### DE VEGETATIVA.

I **A** It *vegetativa* : ego fum virtus contracta in vegetato, cujus fum anima, per quam ipfum vegetatum eft *vegetans*, & per quam ipfa *vegetabilitas* eft fua propria paffio, & *vegetare* ab utroque eft proceffum. Vegetans autem vegetat de  
ele-

elementatis in sua propria passione transmutatis & vegetatis peregrinatis, & acquisitis, mediante vegetare peregrinato in vegetare intrinseco nutrito genito, & augmentato ex mea essentia, quæ sum vegetatio.

2 Dixit vegetativa: habeo tres species in mea natura, quæ sunt *generatio, augmentatio, & nutritio*. De istis autem speciebus dictum est Cap. de generatione; ego autem sum una pars mundi diffusa & extensa in arboribus, & animalibus. Mea principia innata sunt: *Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, instinctus, appetitus, virtus &c.* in me contracta & specificata. Ex istis omnibus est mea essentia & natura, & omnes meæ operationes, & meus motus.

3 Ait vegetativa: arbor est *bona*, & est bona per bonitatem meam: sum ergo bona. Ex mea bonitate absoluta in me contracta arbor recipit generationem, augmentum, & nutrimentum. Sua bonitas autem sic vivit, & crescit de bonitate elementorum sicut flamma in lampade de oleo; & ideò si arbor bonum fructum facit, ipse fructus

tus



tus est generatus nutritus & augmentatus in mea bonitate & de mea bonitate, & in me permanens; & quia mea bonitas est fecunda per meam bonitatem est positus alius fructus in ipso fructu in potentia, & hoc bonum est, ut mea bonitas sit permanens & de una specie in aliam transiens, ut mea natura bona non sit otiosa nec in nihilum deducta.

4 Dixit Vegetativa: in me est contracta *Magnitudo*, in me specificata & nutrita, & data est mihi ut sit mea natura magna. Per ipsam est arbor magna habens magnam quantitatem, virtutem & naturam, cum quibus habet aliam arborem in potentia: & quando illa arbor quæ est in potentia est deducta in actum, habet aliam arborem in potentia, ut ego sim Magna vegetativa: Magna autem non possum esse sic successivè sinè Magnitudine elementorum ex qua augmento magnitudinem arboris, Magnitudo autem elementorum non sufficit ad hoc nisi Magnitudo cæli sit efficiens per motum; motus autem est magnificatus per Magnitudinem, quæ est suum principium  
inna-

innatum à Divina Magnitudine tantum; quæ Magnitudo est effectrix magnitudinis cæli & magnitudinis elementorum, & facit meam magnitudinem: & hoc est quia est ambiens & finis super omnes Magnitudines extrinsecas, & si mea natura posset tantum pati, quantum Magnitudo Divina posset dare, in me Magnitudinem, tunc extenderet meam Magnitudinem in infinitum, sed non potest quoad me, quia non possum recipere infinitatem, cum ipsa infinitas non posset esse de mea natura nec in mea natura permanens; & ideò confiteor quod plus potest causa in suo effectu dare Magnitudinem, quàm effectus posset ipsam recipere. Et hoc dignum & iustum est, cum causa sit altior per finem, quàm effectus ejus; & de hoc exemplum habemus per formam & materiam, quoniam forma habet altiorem finem quàm materia, cum det ei esse & non propter hoc sequitur otiositas in forma, si materia non possit tantum recipere esse, quantum ipsa potest dare: eò quod est permanens in sua *intensa* Magnitudine activa & materia

ria in sua *extensibilitate*, passiva.

5 Ideò dixit vegetativa: malè dicunt illi qui asserunt quod Divina *Magnitudo* non posset magis agere sivè producere *Magnitudinem* in mundo quàm mundus recipere, quæ *Magnitudo intrinsecé* non existit otiosa in sua *intensa natura*, sicut intellectus Divinus qui est in tanto magnus per suum intelligere, quantum est Magnus per suum existere: non est ergo Deus otiosus per *Magnitudinem intrinsecé* nec *extrinsecé*, ut probatum est.

6 Ait vegetativa: sum *durabilis* per durationem in me contractam & specificatam in meis individuis, ut in rosa, lilio & viola, & sic duro, & persevero de uno individuo in alio successivè. Postquam duratio est mea anima in me substantialiter nata, & in meis particularibus diffusa, & profunda; si non durat ista rosa & ista viola, non propter hoc sum otiosa, quia duro in alia rosa & in alia viola deductis de potentia in actum; duro autem dum sunt in potentia, & etiam quando eveniunt in actum, & quando corrumpuntur remaneo in

D

mea

mea duratione absoluta & natura.

7 Dixit vegetativa : *Potens* sum; *Potestas* autem quam habeo est mea natura mihi data & contracta à potestate absoluta in me subalternata. Dico autem quod est absoluta per hoc, quia habeo posse in rosa & viola, & etiam equo, homine & hujusmodi: potestatem autem quam habeo in ista rosa habeo formalitèr & materialitèr, per hoc quia potestas ipsius rosæ est de mea potestate absoluta, & ideo sua Potestas est de mea potestate genita, augmentata & nutrita : & si ipsa rosa posset habere tantam potestatem quanta est mea potestas absoluta, ipsa esset tantum Magna, quantum est mea, quod est impossibile: quoniam species ipsius rosæ hoc non posset sustinere, nec etiam mea natura, quia *particulare* non potest esse ita potens sicut *Vniversale*; & ideò licet mea potestas non possit tota capi in ista rosa non propter hoc sequitur quod sim otiosa nec corrupta : & corruptâ ipsâ, mea potestas est species in rosario: & posito quod rosarium esset corruptum, & etiam omnes aliæ arbores, mea potestas esset

esset permanens in mea absoluta natura subalternata à prima potestate in me contracta, & ipsa prima à Divina causata.

8 Rursus dixit vegetativa: habeo *instinctum* mihi datum in me subalternatum & naturatum, cum quo *instinctu* habeo naturam in causando in rosario talem rosam sic figuratam, foliatam, coloratam, sapidam, quasi haberem intellectum ad hoc faciendum, sicut pictor per suum intellectum & suam imaginationem pingit talem rosam in pariete. Et sicut dico de rosa ita potest dici de lilio, viola & hujusmodi.

9 Item dixit vegetativa: habeo *appetitum* cum quo vegetare appeto vegetata. Ipse appetitus est mihi datus per *appetitum* superiorem in me contractum & in me absolutum subalternatum, cum quo habeo appetitum ad istam rosam, ad istud liliu, & ad istam violam; & ideò quales appeto, tales habeo; tamen indigeo adjuvamento à primo motore, qui est prima causa, scilicet Divina voluntas, quæ per meum appetitum est significata. Ipsa autem est absoluta, & meus appetitus est subalternatus,

& per

& per suam virtutem in partibus contractus. Ego in mea natura per meum appetitum sum sustentata.

Dixit vegetativa: sicut exemplificavi de *Bonitate Magnitudine, &c.* in ostendendo meam essentiam & naturam, meas operationes & mea primitiva principia, sic possem dicere de mea *virtute, veritate, delectatione, perfectione* & hujusmodi.

CAP. VII.

DE SENSITIVA.

1 **D**ixit *sensitiva*: Ego sum virtus & natura, per quam ea, quæ sunt in me sunt sensata, & naturata de mea natura, scilicet elementativa, vegetativa, imaginativa cum omnibus quæ in me habent; & hæc per ea quæ dicta sunt de mea forma generatione & corruptione, nota sunt intellectui bene intuenti & de scientia naturali habituato.

2 Ait *sensitiva*: in me sunt plures formæ evenientes, & plures materiæ, cum accidentibus earum ut dictum est; scilicet elementativa, vegetativa, & imaginativa, & simul

simul constituunt unam naturam, & in mea naturali relatione, & in ipsis compositis animal junctis relationibus earum in me; ut *sentiens, elementans, vegetans, imaginans* tamquam una forma; & *sensibile, elementabile, vegetabile, imaginabile* tamquam una materia; *sentire, elementare, vegetare, imaginari*, tamquam una natura connexiva; & ideò per talem modum constituimus animal compositum ex prædictis potentijs, quod per me est *sentiens, sensibile, & habet sentire elementando, vegetando, &c.*

3 Ait sensitiva: meæ relationes prædictæ per principia innata sunt constitutæ & relatæ, ut per *Bonitatem, Magnitudinem, &c.* Ista sunt principia nostra subalternata à principijs supremis descendencia tamquam à causis primitivis, ut à Divina Bonitate, Magnitudine, &c. sub quibus principia nostra comprehenduntur ad placitum, sicut finitum comprehenditur per infinitum, & novum comprehenditur per æternum, & hujusmodi. Et si nos plus possemus recipere fœcunditates & influentias superiores,  
 ipsæ

ipsæ plus agerent in nobis ; sed non possu-  
 mus, quia finitas naturas habemus, & fini-  
 tas relationes, & per consequens novas, &  
 quidem inter infinitum & finitum, æter-  
 num & novum, nulla est proportio. Sicut  
 evenit in me elementativa, ut sit in me  
 sensata: sic ego in ipsa, ut sim elementa-  
 ta: & per hoc sum sentiens in subjecto  
 sensato in quo sum, hoc est, ipsum per me  
 habet sensum agentem, cum quo sentit ca-  
 lorem, frigiditatem, famem, sitim, dolo-  
 rem, delectationem, & hujusmodi; aliter  
 non haberem actionem, nec naturam agen-  
 tem, quod est impossibile; quoniam defi-  
 ciente mea sensitivitate, deficeret propria  
 sensibilitas, & per consequens sentire, &  
 meæ relationes nihil essent in natura, nec  
 alię relationes in me venientes supratactę.

4 Rursus ait sensitiva: vegetativa est in  
 me sensata, quæ per motum est juncta  
 suis tribus speciebus *in suo Capitulo* prætac-  
 tis, ad quod sequitur in mea natura ge-  
 nerare, nutrire, & augmentare: per gene-  
 rare, genero sensibilitates, ut per potentiam  
 visivam, visibilitatem, per auditivam, au-  
 dibi-



dibilitatem, & hujusmodi. Ipsas autem nutritio & multiplico per objecta extrinseca, ut per colorem lapidis & figuram, ponendo similitudines eorum in mea sensibilitate absoluta, quæ est mea propria passio, in qua facio ipsas sensatas, hoc est visibiles, &c. & cum quibus per accidens facio lapidem visibilem, qui lapis non est sensatus.

5 Ait sensitiva: Rosarium non est per se *potens* producere rosam de potentia in actum sine potestate coeli, nec ego à simili sum potens per meam potestatem sine potestate coeli facere lapidem visibilem. Et sicut dico de *potestate*, sic dico de mea *Bonitate*, *Magnitudine*, &c. quæ requirunt habere adjuvamentum naturaliter ad bonificandum & Magnificandum visibilitatem lapidis, &c. & magis indigeo adjuvamento per primitivam Bonitatem, Magnitudinem &c. quæ sunt primæ causæ, quàm per secundarias. Et quia magis indigeo primis causis, quàm secundarijs, magis sum passus sub primis, quàm sub secundarijs, & sicut secundariæ me lædunt in meis sensibus exterioribus, causâ infirmitatis, multò magis  
& sine

& sine comparatione causæ primæ possunt agere in me ad placitum, & super meam naturam, miraculosè.

6 Dicit sensitiva: Meus *appetitus* est quod sensus sit sentiens sive agens ut habeat activam naturam, & per consequens passivam & connexivam per sentire; & ideò quando habeo licentiam ad agendum naturaliter, per me meus appetitus est quietatus sive in quiescere, & quando aliquid ad extra me impedit, per meam naturam est mihi odibile, ut ita loquar sive horribile, ut quando appeto videre aut audire aut comedere aut bibere & hujusmodi.

7 Item ait sensitiva: meus appetitus habet duas species inter alias, una est *intensitas*, alia *extensitas*; sua autem propinquitas est sub sua intensitate, & sua distantia sub sua extensitate; sicut nimia caliditas in aqua fervente est magis per me sensibilis, quàm frigiditas in glacie, sive in nive. Ratio hujus est quia magis est nocivum subjectum sensatum nimis calidum, quàm nimis frigidum, cum ignis sit magis activus quàm aqua; hoc idera possum dicere de odorabili

bili & visibili; quoniam nimius factor est magis nocivus quam sit magnus odor delectabilis; & sic de videre suo modo & de alijs secundum quod eveniunt objecta magis intensa, aut minus intensa.

8. Rursus ait sensitiva anima: absoluta sum in sensato, hoc est per sensum communem, & particulata sum in sensibus exterioribus, & subalternata sum in quolibet sensu exteriori; ut in potentia visiva quæ sentit organum, scilicet oculum, qui potest videre album & nigrum, & colorem tertium confusum. Ipsa autem potentia visiva est tamen generalis ad videndum colorem confusum sive mixtum in colorato quantum albedinem intensam in albo, & sic de nigredine intensa, sed color confusus non est tantum dispositus ut sit per eam objectatus, sicut color intensus; & ideò patet per hoc quod non deficit potentia visiva quo ad se, sed subjectum deformatum & improportionatum; & ideò dico, & confiteor quod plus potest Divina Potestas in me per se ipsam & propter se ipsam, quam ego per me atque prop-

propter me, & hoc dignum & justum est, cum ipsa sit causa & finis, & ego effectus.

Item ait sensitiva: multa alia vera possem dicere de me, sed per ea que de me dixi, sum cognoscibilis quoad meam naturam, essentiam, existentiam & agentiam.

### CAP. VIII.

#### DE IMAGINATIVA.

1 **D**ixit *imaginativa*: ego sum virtus eveniens de sensitiva & in ipsa sum permanens. Dico quod sum eveniens de ipsa, quia in ipsa sum exiens in potentia ad omnia imaginabilia, & in ipsa sum permanens, cum sit meum subjectum à quo extraho imaginabilia.

2 Rursus ait *imaginativa*: sum absoluta una pars universi, eò quod una pars *bonitatis* absolutæ est in me contracta, & sic de alia parte universi, quæ est *Magnitudo*, &c. De omnibus istis attributis sum constituta substantialiter & accidentaliter, ratione cujus sum substantia absoluta quo  
ad

ad meam essentiam & naturam, & habeo accidentia absoluta à mea substantia progredientia & in me permanentia.

3 Dixit imaginativa: quodlibet meorum principiorum absolutorum est in me relat-um, eò quod de correlativis sensitivæ sunt evenientia; ipsa autem correlativa consistunt in me communia correlativa, ut *imaginativum, imaginabile & imaginari*. Et ideò quodlibet est correlativum abso-lutum ad plura, eò quod meum imagina-tivum potest imaginari plura individua sub pluribus speciebus existentia per meam communem & propriam passionem, quæ est imaginabilitas in qua sunt deducibilia de potentia ad actum cum communi ima-ginari.

4 Rursus ait imaginativa: ego & sensiti-va sumus connexe, & quælibet in alia est tota extensa; aliter non possem imaginari omnia sensibilia abstrahendo species sensi-biles in me imaginatas; quoniam sum con-nexa cum sensitiva ut imaginer sensibilia, moveo sensitivam ad sentire secundum magis & minus, & per consequens moveo  
suum

suum instinctum & appetitum ad delectationem sive ad oppositum.

5 Rursus dixit imaginativa : in memet ipsa sum absoluta cum absoluto & communi sensu conjuncta , & in sensibus exterioribus sum contracta & subalternata , ut per visum auditum , &c. per visum autem sum generalis potentia ad imaginandum visibilia , ut albedinem in albo, figuram in castro , & hujusmodi ; & sic de auditiva per auditum imaginando plures sonos, sive voces.

6 Ait imaginativa : quia in sensibus exterioribus sum contracta , per ipsos sum contracta , in particularibus, ut ad imaginandum unum castrum , unam rosam, unum sonum & hujusmodi.

7 Iterum dixit imaginativa: sensitiva non potest multiplicare chimeram, eò quod non potest agere de me , cum sit meum subjectum , & non è conversò , sum autem superius & ipsa inferius , & per consequens mea bonitas est super suam, & mea Magnitudo super suam, & sic de alijs; ad quod , secundum quod sum sua perfectio

per

per accidens, ut quando indiget calore aut cibo, aut coitu, imaginor suam indigentiam, & dirigo ipsam ad objectum desideratum; & idem objectum per ipsam est sensibile & per me imaginabile.

8. Dixit imaginativa: cum sim cum sensitiva conjuncta compono ad placitum chimeram & facio ipsam compositam ex pluribus similitudinibus particularium differentibus in specie, ut chimeram habentem caput hominis, corpus leonis, pedes bovis, caudam piscis & hujusmodi.

9. Rursus ait imaginativa: mea imaginabilia sunt bona per meam bonitatem, & si sint mala, id est per accidens. Cum mea Magnitudine imaginor magna imaginabilia, & si velim possum imaginari parva, eò quod absoluta sum super sensitivam. Mel dulce possum imaginari dulce, & si velim possum ipsum imaginari amarum, & de dulcedine & amaritudine possum facere chimeram. Sensitiva non potest me impedire: nec mirum quia ego sum supra ipsam tamquam forma, & ipsa sub me tamquam materia, & hoc per meam bonitatem su-

per

per bonitatem ejus, & per meam Magnitudinem super suam, & hujusmodi; & hoc quia mea principia innata natant super sua sicut oleum super aquam; & ideò cum ita fit, quid mirum si Deus potest cum suis principijs sive dignitatibus primitivis & necessarijs agere supra meam naturam miraculose & supra naturam sensitive, cum simus potentiæ inferiores & dignitates Dei sint superiores?

10 Item dixit imaginativa: sensitiva non potest extendere vires suas supra meas: quoniam quidquid ipsa potest sentire possum imaginari, & ego possum imaginari chimeras, & ipsa non potest sentire nec objectare. Intellectus autem est potentia super me multò magis quàm ego supra sensitivam, cum ipse sit substantia spiritalis, & nos ambæ simus de genere corporeitatis; & ideò quid mirum si intellectus humanus potest objectare species & genera abstracta & ego non possum ipsas species nec genera imaginari? & sicut dico de intellectu ita dico de voluntate & memoria, ex quibus anima rationalis est constituta  
habens



habens altiora principia innata quàm ego habeam.

Multa alia ait imaginativa possum dicere de me physicè, sed sufficiant ea quæ dixi, quia per ea quæ dixi potest cognosci mea essentia, natura, & operatio: posito autem quod intellectus sit physicus & naturalis; aliter non, cum mea dicta sint alta & profunda.

## CAP. IX.

### DE MOTU.

1 **D**ixit motus: Ego sum ens existens in potentia ad actum, & sum existens in subjecto, in quo sum, cum quo movens movet mobile de potentia in actum.

2 Dixit motus: sum ens absolutum primò progrediens à principijs innatis cœli, ut *bonitate magnitudine &c.* quoniam in quantum bonitas bonificat Magnitudinem, & magnitudo magnificat bonitatem, & sic de alijs, sum genitus & progrediens à correlativis eorum: & constituitur cœlum

com-

compositum ex forma & materia & decem Prædicamentis, quæ forma movet se per me activando, & movet materiam passivando; & hoc cum quantitate quia quantus sum, cum qualitate quia qualis sum, cum relativis quia relatus sum, & hujusmodi.

3 Ait motus: anima sum cum qua coelum movet se ipsum, sicut habitus naturalis sub quo movens movet se ipsum per me, sicut ignis qui sub sua caliditate movet se ad calefaciendum, & sub habitu levitatis ad ascendendum, & aqua sub habitu gravitatis ad descendendum, & hujusmodi.

4 Sum motus absolutus per octavam sphaeram, subalternatus per Saturnum, & sic descendendo per alias sphaeras & sphaeras aliorum, usque ad vegetabilia particularia, scilicet usque ad lapidem, rosam, equum, & hujusmodi: per omnia ista sum mobilis & movens & exiens de potentia in actum continuè, & successivè. Et hoc significatum est per ea, quæ dicta sunt in *Capitulis formæ, materiae, generationis, corruptionis &c.*

5 Iterum

¶ Iterum ait motus : sum continuus in quantum sum una essentia absoluta secundum totum universum continuè extensa , cum totum universum sit unum individuum continuum corporale constitutum ex suis principijs generalibus , ut ex bonitate , magnitudine &c , ut dictum est de Generali forma, materia, & decem Prædicamentis. Omnia ista sunt continua non contigua , quoad superius nec quo ad inferius, quia si sic, mundus esset individuum discontinuatum , & non unum , & etiam implicaret vacuum, & ego non essem continuus, sed successivus divisus ; quod est impossibile. Sum autem discontinuatus in Particularibus secundum quod differunt specie. Ut asinus , capra , & hujusmodi, & remaneo indivisus quoad meam essentiam, & omnia sunt in me , & ego in ipsis , ab omni vacuitate denudatus per existentiam & agentiam.

6 Rursus ait motus : habeo tres species inter alias , ut *augmentationem* , *alterationem* , ut significatum est per generationem, & corruptionem, & alia est *per loca* , ut nubes

E

bes

bes in cœlo , quæ moventur de uno loco in alium , & sicut pluvia quæ movetur de superius ad inferius , quia ponderosa est, sicut piscis qui movet se in aqua cum cauda sua , & equus in terra , qui movet se cum pedibus suis.

7 Ulterius dixit motus: habeo quatuor species , quæ sunt *Elementativa* , *vegetativa* , *sensitiva* , & *imaginativa*. Per omnes istas sum motus & movens , sicut in *Capitulis* prædictarum specierum significatum est.

8 Iterum ait *motus* : habeo tres species: ut motum *circularem* , *rectum* , & *obliquum*. *Circularem* ut patet per cœlum: *rectum* ut patet per descensum aquæ , & per ascensum ignis, & per sagittam motam in àère, & sic de vento & hujusmodi ; motus autem meus *obliquus* consistit per angulos *acutos* , *rectos* sive *obtusos*.

9 Ulterius ait *motus* : sum per quatuor *qualitates* , quia cum ipsis sum movens & mobilis, sicut in flamma, in aqua calida, in glacie, & hujusmodi, constituendo quatuor *qualitates* , ut *choleram* , *sanguinem* ,  
*flegma*,

*flegma, & melancholiam.*

10 Rurfus dixit *motus* : fum movens & mobilis *artificialiter* : ficut navis mota per ventum, & nauta motus ad motum navis & figura arcæ mota de potentia in actum, & fic de alijs mæchanicis.

11 Item fum *motus* ad privationem, & hoc patet per cæcitatem, furditatem &c, & per fenfum infectum, fivè imaginatio- nem infectam, & fic de alijs.

12 Ulterius dixit *motus*: fum motus in sub- jecto moto per cibum, potum, & hujusmodi.

13 Rurfus ait *motus* : multa alia pollem dicere de me oftendendo meam *effentiam*, *existentiam*, & *agentiam*, meum *instinc- tum*, *appetitum*, meam *originem*, meam *bo- nitatem*, *magnitudinem*, *quantitatem*, *qua- litatem*, &c. Sed per ea, quæ de me dixi polsunt cognofci omnia quæ de me dici pol- funt, & hoc per intellectum subtiliter in- tluentem.

## CAP. X.

### DE INTELECTU.

1 **A** It *intellectus* : ego fum fubftantia creata conjuncta, cui propriè com-

competit *intelligere*, & per accidens *credere*.

2 Dixit *intellectus*: per divinum Intellectum sum creatus; *Bonitas* est mihi associata, & mecum conjuncta per divinam Bonitatem, *Magnitudo* per divinam Magnitudinem, *Duratio* per divinam Æternitatem, *Virtus* per divinam Virtutem, *Veritas* per divinam Veritatem, *Delectatio* per divinam Gloriam, & hujusmodi.

3 Per Bonitatem sum bonus, per Magnitudinem magnus, per Æternitatem durabilis, per Potestatem potens, &c; & ideò, cum sim sic associatus, sum potens ad intelligendum generalia, ut genera, species, abstracta, &c. Cum omnibus istis sum compositus, ut benè, magnè, &c. intelligam Objectum primum, quod est meus finis, & omnia propter ipsum; cum istis facio scientiam profundam de Bonitate Magnitudine, &c.

4 Rursus ait *intellectus*: quoniam cum omnibus istis sum compositus in tanto quòd quilibet est in me, & ego in ipsis essentialiter, multiplicabimus extensionem, & unam essentiam; & hoc idem est de *voluntate* &

*me-*

*memoria* in tanto quod sumus una essentia, una anima immortalis composita ex prædictis.

5 Rursus dixit *intellectus* : Divinus intellectus est infinitus & comprehendit omnia, & ideò cognoscit me quantum & finitum, ratione cujus necessitatus sum, quod sim *quantus*, & sic de *qualitate*, mea *relatione*, & alijs Prædicamentis in mea substantia sustentatis, & cum ipsa conjunctis; & ideò oportet me esse particulatum secundum quod sum cum corpore Petri conjunctus, & est alius intellectus à me distinctus cum corpore Guillelmi conjunctus, & sic de alijs; & hoc est quod summus Intellectus requirit quoad suam dignitatem, & quod per plures intellectus sit cognitus, & laudatus, & in gloria sempiterna beatificans intellectus beatos.

6 Item ait intellectus: sum correlativus, eò quod sum *intellectus agens* intelligens; & sum *intellectus possibilis*, qui est propria passio in qua sunt species intelligibiles, & per eas entia realia sunt cognita, & sum *intelligere intrinsecum*. Omnia ista

ista sum per essentiam, quia sunt partes meæ; ipsa autem sunt distincta, quia sunt relata, sine qua distinctione non essent relata, nec ego haberem naturam, nec scientias possem extrâ ipsa facere, quia nulla potentia agit naturaliter extra suam essentiam.

7 Rursus ait intellectus; quia sum *intellectus agens* sum forma, & quia sum *intellectus passibilis* sum materia, & sum forma cum formâ Bonitatis, & materia cum materiâ Bonitatis, & sic de Magnitudine &c, & sum *connexio*, ut *intelligere* cum bonificare &c.

8 Item ait Intellectus: per meam formam sum activus, & ipsa actio est primitiva & non prædicamentalis, quia cum ipsa forma est conversa; & ideò ipsa actio est substantialis; ab ipsa autem oritur *actio accidentalis prædicamentalis*; & sic de materia suo modo. *Actio & passio* prædicamentales sunt instrumenta, cum quibus acquiruntur species abstractæ à sensu & imaginatione illuminatæ & radicatæ in mea propria passione in qua sunt factæ intel-



intelligibiles ; impropriae intelligibilitates sunt peregrinae acquisite per accidens. & sic de *intelligere peregrino* orto ab *intellectivo & intelligibili predicamentalibus*.

9. Rursus dixit intellectus : sum vita, & in quantum sum vita, sum vita & forma corporis, cum quo sum conjunctus. Ratio hujus est, quia reduco quatuor potentias corporis : ut *elementativam, vegetativam sensitivam & imaginativam*, in speciem humanam : ipse autem homo est per me factus, & movet me ad intelligendum, cum mea natura sit intelligere, & hoc naturaliter ; moraliter autem si moveat bene me ad intelligendum, sum verus & bonus ; si autem ipse homo est malus moraliter & movet me sophisticè, sum malus & falsus, quia à fine meo sum deviatuſ & de peccato habituatus.

10. Rursus ait intellectus : Meus ordo est quòd sim primitivus in acquirendo species *distinguendo, concordando, contrariando*, & quando non possum ipsas intelligere facio ipsas credibiles, & sic per accidens sum creditivus positivus : & quando sum

in

in medio inter *intelligere*, & *credere* sum *opinativus*, *dubitativus*, & extra quietem, & in labore positus in tantum quod sum promptus ad concludendum verum aut falsum, & si concludo verum sum quietatus, si falsum, sum de ignorantia habituatus.

11. Rursus dixit *intellectus*: Inter me & hominem, in quo sum, est differentia cum sim una pars ejus. Quoad meam naturam nunquam sum fallax, cum meum proprium objectum sit intelligibile, & mea natura sit ad hoc disposita; homo autem est compositus ex pluribus potentijs, & ipse movet me, sicut totum movet suas partes, & ideò per ipsum, si fallor, deficio, non per me, contra meam naturam; quoniam quandoque homo habet ita magnam voluntatem ad desideratum, quod non habeo libertatem antecedendi, nec inquirendi veritatem; & sic de ira & hujusmodi.

12. Rursus dixit *intellectus*: duobus modis intelligo, & facio scientiam. Primò per sensum & imaginationem de rebus inferioribus, sicut in artibus liberalibus &

mechanicis, & de moralibus; alium modum habeo per ea, quæ sunt superiora, ut per Deum & per suas dignitates & per substantias separatas: & sicut facio scientias inferiores per *possibile & impossibile*, sic facio scientias superiores per possibile & impossibile: & magis sum altus & assertivus per possibilitatem, & impossibilitatem ad superiora, quam ad inferiora, cum Deus superius agat cum sua bonitate, magnitudine &c, benè, magnè &c, ea quæ sunt apud eum possible, & evitet impossible, cum non possit malè agere &c.

13 Confiteor quod Deus est altius objectum quam ego possim intelligere, & magis est per se intelligibilis sua bonitas, magnitudo &c, & etiam suum agere *intrinsecum & extrinsecum*, quod ego possim intelligere, cum sim potentia inferior, & ipse objectum superius. De istis autem alijs scientijs, quæ sunt inferiores non est sic, quia fiunt per sensum & imaginationem, quoniam ego sum magis dispositus, & promptus ad intelligendum superiora cum sim spiritus, quam sensus & imaginatio sint mihi

mihi sufficientes, quia sunt de genere corporeitatis.

14 Item dixit *intellectus*: Confiteor quod divinus Intellectus est infinitus & profundus per se & per suam Bonitatem, Magnitudinem &c. cum sit ab omni materia & accidente disparatus, & cum ipsis rationibus conversus. Talis autem infinitas & profunditas, quam habet quoad sua correlativa infinita à nullo ente potest impediri; cum omnia alia sint inferiora, & ipsæ dignitates superiores in superlativo gradu existentes; hoc autem quod confiteor necessarium est esse verum; quia si non: altior essem in objectando Deum fictum, sive Chimeram spirituales, quam objectando Deum verum & realem: quod est falsum & impossibile; aliter essem altior in virtute objectando, quoniam per Deum essem quantus, quod est absurdum dicere.

Rursus dixit *intellectus*: multa alia possum dicere, sed esset longum enarrare, & per ea quæ dixi potest cognosci quidquid de me dici potest.

CAP. XI.

## CAP. XI.

## DE VOLUNTATE.

1 **D**ixit *voluntas*. Ego sum substantia creata, cui propriè competit velle; & per accidens nolle. Dicit voluntas: mihi competit propriè velle, quia sum ex tribus meis correlativis constituta: ut ex *volente*, *volibili*, & *velle*: cum quibus sum profunda; cum velle autem, appeto volibilia utilia: cum nolle, odio odibilia inutilia.

2 Item ait voluntas: sic sum substantia affosciata cum *bonitate*, *magnitudine* &c: sicut de intellectu fratre meo, dictum est: ipsa autem bonitas est ei, & mihi communis: & sic de magnitudine &c, ratione cujus sua correlativa, & mea sunt communiter bona, magna &c. Ratio hujus est quia summum objectum, scilicet Deus, est æqualiter bonum, magnum &c; ratione cujus benè, magnè &c, est à me, & ab intellectu fratre meo objectabilis, contemplando in hac vita, & in alia vita beatificando.

3 Di-

3 Dixit *voluntas*: ego facio amationem duobus modis, sicut dictum est de intellectu qui facit scientiam duobus modis, facio enim amationem per sensum, & imaginationem, ut satisfaciam corpori cum quo sum conjuncta, de eo quod ipsi necessarium est in volendo ea, quæ sunt ipsi utilia: & in nolendo ea quæ sunt ipsi inutilia, & hoc maxime facio propter me cum sim forma ejus; & cum per ipsum sim disposita ad faciendum amationem de supremo objecto, quod est meus finis, & finis corporis; amatio autem quam facio ad superius est spiritualis. Cum verè sim spiritus transcendens cum mea bonitate bonitatem corporis. Cum mea magnitudine, &c. magnitudinem corporis, sequitur quod meum possibile quod habeo ad superius est altius, quàm possibile quod habeo ad inferius in faciendo amationem: & sic de impossibili, hoc est quod objecta quæ sunt inferiora, non sunt tantum amabilia naturaliter, quantum objecta quæ sunt superiora, ut puta Deus, & suæ rationes, sua intrinseca operatio, & extrinseca, & sic de

An-

Angelis, de alia vita, & hujusmodi.

4 Dixit voluntas: sum sic composita meo modo, sicut dictum est de intellectu suo modo & ideò sum absoluta in volendo benè, magnè &c; & si benè, magnè &c. diligo, bona sum, si in opposito, mala sum, & de peccato sum habituata. In volendo habeo libertatem duobus modis. Uno modo possum velle bonum, quia bona sum naturaliter, & maximè, quia divina Bonitas causat in me meam bonitatem naturalem, & dat mihi liberum arbitrium ad volendum bonum; alio modo habeo in contrarium liberum arbitrium ad volendum malum, & hoc, quia sum de nihilo creata; malum autem est habitus privativus, sicut bonum positivus; & ideò homo, cujus sum una pars, de me potest agere benè aut malè, & si per me diligit bona, bonus est moraliter, & si per me diligit mala, malus est moraliter; & ideò male dicunt illi, qui asserunt quod ego sum bona voluntas in omnibus hominibus; quia si sic non essem subjectum justitiæ Dei in tribuendo bonum pro bono, & malum pro malo;

malo; Divina autem Voluntas hoc non vult; quia idem est cum Justitia, & me expectat, si bona sum in agendo, ad bonificandum in vita sempiterna, ut meum subjectum sit æviternum per amorem, & hoc bonum, magnum, &c est.

§ Rursus dixit *voluntas*: ego sum particulata in Petro, & quia sum associata cum Bonitate, Magnitudine &c, mea correlativa sunt generalia, cum quibus transcendendo objectivè sensum & imaginationem, quæ non possunt attingere genera, species, abstracta; ut abstractam substantiam, quantitatem, & sic de alijs predicamentis absolutis; ego autem sic diligendo, cum habeam altiore naturam, quam sensus & imaginatio, & magis bonam per Bonitatem spirituales, magis magnam per Magnitudinem spirituales &c, quam ipse habeat per corporalem. Etiam, quid mirum? Cum ego habeam Objectum primum diligendo; sensus autem non, sentiendo, nec imaginatio imaginando; quoniam Deus nec est sensibilis, nec est imaginabilis; sed per me est amabilis, & per meum fratrem intellectum intelli-

telli-



telligibilis; & per memoriam sororem meam recolibilis. Non est autem quod Deus possit objectare, nisi anima, & Angelus recolendo, intelligendo & amando, & ad ista tria sunt creata & ordinata omnia alia.

6 Ait *voluntas*: sum potentia imperativa, eò quod sum optantiva. Imperativa sum, quia impero intellectui, & memoriæ, ut objectent meum objectum desideratum; intellectus autem & memoria imperant mihi, ut objectem objectum eis desideratum; & hoc naturaliter est ordinatum, ut benè nos agamus, & invicem coadjuvemus ad hoc ut benè, magnè &c, objectemus, & meritum beatitudinis acquiramus, cum habitu Justitiæ, prudentiæ &c. sed homo malus, quando est perversus, difformat nos, quando est habituatus, de avaritia, imprudentia &c; nos autem sinè ipso nihil agere possumus, cum ipse sit motor, & nos simus mobilia, ipse universalis, & nos particulares.

7 Item ait *voluntas*: sum cum habitu charitatis ordinata & exaltata, sicut intellectus per habitum fidei, & quandoque  
habi-

habitus suus, & meus eodem modo se habent ad idem objectum amando & credendo, & quando intellectus est altissimus per habitum fidei, sub quo habitu est habituatus de sapientia, tunc habitus suus & meus æqualiter se habent ad idem objectum amando & intelligendo, & tunc sumus in actu perfecto, secundum quod perfectio potest dici in via.

8 Ait *voluntas*: ego sum potentia electiva, & hoc duobus modis; scilicet *eligendo amando*, & eligendo odiando species, quas intellectus invenit, & intelligibiles facit, aut credibiles; ipsas autem species inventas per intellectum, & per me electas, ponimus in memoria forore nostra, ut ipsas custodiat, & sint antiquæ, ut possimus acquirere novas, & quando volumus recuperare antiquas ipsas, ponimus novas in ipsa memoria, ut sint antiquæ & ut ipsa reddat nobis illas, quas primò possuimus. Multoties autem ipsa memoria ad hoc est valde fatigata in recipiendo, & reddendo, quia non potest in eodem nunc: & quia tempus est prolongatum;

tum; & ideò, quando non potest nobis reddere species antiquas, intellectus, & ego sumus in magno labore, & per consequens ipsa memoria etiam; & quando reddit, tunc sumus in quiete.

9 Item dixit voluntas: intellectus frater meus habet magnum avantagium super me, quoniam si ipse appetat objectare objectum bonum, magnum &c. intelligendo, & non possit, sensatus est; sed ego non possum habere sensationem, quoniam privata sum, si velim ad diligendum bonum, & si nolo, culpam habeo, de qua culpa, memet habituo; intellectus autem de ignorantia non se habituatur, optando ipsam, eò quia est sua inimica; sed ego, heu tristis! quare opto malitiam, cum sit mea inimica? Non dico, quòd hoc sit per meam naturam, quoniam nullum agens appetit agere suum contrarium; est autem per hominem, cuius ancilla sum, qui quandoque agit per me malè, eò quia preverfus est.

Ait voluntas: multa alia de me dicere possem: sed ea, quæ dicta sunt sufficient intellectui subtiliter intuenti, quoniam

per ea, quæ dicta sunt, potest cognosci  
 mea *essentia*, *agentia*, & *natura*, mea  
*quantitas*, *qualitas*, &c.

## CAP. XII.

### DE MEMORIA.

1 **D**ixit *memoria*: Ego sum substan-  
 tia creata conjuncta, cui propriè  
 competit *memorari*, & recolere & per ac-  
 cidens oblivisci.

2 Dixit Memoria: sum sic associata de  
 bonitate, & magnitudine &c: sicut intel-  
 lectus, & voluntas: & ideò infimul su-  
 mus participant per unam bonitatem,  
 magnitudinem &c: etiam in meo bono  
 recolere est bonum intelligere & amare:  
 & ex istis tribus bonis, sequitur unus bo-  
 nus actus communis, in quo sunt plures  
 actus differentes: eò quia sumus tres poten-  
 tiæ differentes: & sicut dico de bonitate:  
 ita dico, de magnitudine &c.

3 Item ait Memoria: sum composita de  
 meis principijs innatis, scilicet de boni-  
 tate, magnitudine &c: & ista est prima

compo-

compositio ; secunda autem compositio est, quia sum substantia composita ex forma, & materia: tertia compositio, quia sum composita cum intellectu, & voluntate ; quia omnes tres sumus una anima hominis : mortuo autem homine, remanemus hoc quod sumus, quia remanent tres species compositionis prædictæ, ad quod sequitur, quod ipsa anima est immortalis, cum istas tres species compositionis habeat per se, & per suam naturam.

4. Rursus dixit Memoria: sum relata, eò quia habeo tria relativa, cum quibus simul sum creata, ut *memorativum*, *memorabile*, & *memorari*: omnes tres sumus una, Essentia, & una natura. Per meum *memorativum* colligo species mihi traditas per intellectum, & voluntatem, & ipsas pono in mea propria passione, hoc est in mea memorabilitate, in qua facio ipsas memorabiles, & antiquas, & quando reddo ipsas, meum *memorativum* conversum est in *recolitivum*, quod reducit easdem species de potentia in actum, quas meum *memorativum* posuit in mea *memorabilitate*.

5. Patet ergo, dixit Memoria, quod habeo duas species, & per consequens duos actus, scilicet *memorari*, & *recolere*. Per primam memoror, per secundam recolo, hoc est reddo quod memorabar. Cum istis autem sum magna, & profunda.

6. Ait Memoria: per meam naturam restauro ea quæ sunt præterita: & sic causo scientiam de præteritis; intellectus autem præcedens inveniens scientias est antecedens, & ego sum ejus consequentia distinctè posita ab intellectu: quia si non, statim quando intellectus causaret scientiam sequeretur consequens, & intelligendo in tempore præsentis intelligeret ea, quæ intellexit in tempore præterito, quod est impossibile: patet ergo, quod sumus duæ potentiæ distinctæ per antecedens, & consequens. Et potest probari per voluntatem sororem nostram, quæ consistit in medio optando species novas per intellectum, & species antiquas per me: si autem non essemus distinctæ potentiæ intellectus & ego, voluntas in eodem instanti optaret species novas, & antiquas,

&amp;

& perderetur successio, quod est impossibile; & ideò cum hæc ita sint, malè dicunt, qui asserunt, quod ego, & intellectus sumus eadem potentia. Meum *possibile*, & *impossibile* sunt mea instrumenta. Per *possibile* possum recipere species, & reddere. Per meum *impossibile*, quandoque non possum reddere species antiquas in me simpliciter privatas & hoc, quia tempus est prolongatum, aut quia à contingentia species mihi fuerunt datæ, hoc est per lentum intelligere, & velle, & quia ipsas non reduxi frequentèr de potentia in actum reddendo.

7 Iterum ait memoria: per *simile*, & per *dissimile* reddo species quandoque, & sine ipsis non possum reddere: Quod ostendo per istud exemplum. Si obliviscar nomen alicujus hominis, & intellectus, & voluntas requirunt, quòd reddam eis illud nomen quod in me posuerunt, si recolam aliquas operationes quas fecit ille homo benè, aut malè, cum amicitia, aut cum inimicitia, & memoror finem, quare intellectus, & voluntas appetunt quòd reddam illud nomen

men hominis , tunc per meam bonitatem, magnitudinem &c, sum quoad hoc inclinata ad reddendum ipsam speciem, memorando ipsum finem bonum , aut malum, qui sequitur , & sic de magnitudine , aut de parvitate &c. Et ideò per talem dispositionem, rarò erit, quin reddam illud nomen quod eram oblita.

8 Rursus ait memoria : effectivè mea natura est melancholica ; quoniam per frigiditatem restringo & conservo species, metaphoricè loquendo, quoniam aqua habet naturam restringendi ; & quia habet naturam vacuativam , habeo loca , in quibus possum ponere ipsas species , seu quas in me evacuaverunt . Voluntas autem cum effectivè habeat naturam aëris, multoties me impedit ad reddendum species , ratione nimij appetitus . Et intellectus , qui habet naturam ignis effectivè, est per nimiam voluntatem deformatus , & non potest deliberare mecum , quòd reddam ipsas species ; & ideò multoties homo est tantum intentus ad recuperandum species per nimiam voluntatem , aut tantum frequentat

ipsas



ipfas objectando, quòd efficitur stultus, eò quòd intellectus est deformatus, quia nescit conjungere speciem cum specie, nec ligare eas ordinatè; & ego à casu moveo hominem ad memorandum unam speciem, & postmodum aliam, sine mea secunda specie, scilicet *recolentia* supradicta.

9 Ulteriùs ait Memoria: sicut dixi de voluntate, quæ impedit me quandoque, ita dico de intellectu fratre meo qui quandoque impedit me: ut quando homo legit diu in libro ut intelligat veritatem optatam; si diu perseveret in legendo, tantum extat intellectus ad intelligere, quod deformat me ad recipiendum species, & hoc per nimiam fatigationem sui ipsius, & mei. Remedium autem consistit in hoc, quod breviter legat, ut ego frequentèr possim recolere ipsam lecturam.

10 Ait Memoria: sicut intellectus, qui est meus antecedens per intelligere, & ego consequens per recolere, habet duos modos faciendi scientiam, ut dictum est in Capitulo suo, sic ego habeo duos modos in agendo, quoniam sensum, & imaginatio-  
nem

nem concipio primitivè, & super sensum; & imaginationem ascendo, quando objecto Deum, & suas rationes, & suas operationes. Per superius, sum levis, delectabilis, sana, recta, & sollicita; sed per inferius, sum pigra, lenta, rudis; &c. hoc autem non est per meam naturam; sed quia objecta sunt inferiora, & de genere finis corporis, quæ objecta impediunt me ad objectandum objecta superiora, quæ sunt de fine animæ.

II Rursus dixit Memoria: multa possunt dici de me, & multa possum dicere; sed per ea quæ dixi, potest cognosci mea natura, mea essentia, & meæ operationes, posito, quod intellectus sit subtilis, & fundatus cum  *suis correlativis distinctis*, non rudis, quia in ruditate sua sum per accidens rudificata, eò quia sum consequentia ejus.

### CONCLUSIO LIBRI.

I **P**ostquam duodecim Principia Philosophiæ fuerunt locuta, & quodlibet de se ipso, dixit. Philosophia Dominabus,

nabus, & Raymundo: audivistis ea, quæ dicunt mea Principia de se ipsis, & consilium, quòd dedit meus intellectus in *Prologo*! Ideò rogo vos, quantum possum, quod ea quæ audivistis, reportetis Serenissimo Domino Philippo Regi Francorum, ut mihi sic satisfaciat de injuria mihi facta, sicut satisfacit Sanctæ Fidei Catholicæ, cum sit pugil verus, & legalis: & Tu Raymunde (dixit Philosophia) debes habere contritionem, si ad hoc non facias satisfactionem secundum totum posse tuum.

Ait Raymundus. Domina Philosophia, sum paratus ad ponendum totum me, & quidquid sum ad tuum honorem, & ad honorem *Domine Theologiæ* quam diligo super omnia; & Tu Philosophia scis quamdiu ad hoc laboravi, & omnia bona mea terrena propter hoc dimisi. Sed quid potest ad hoc meum parum posse, cum sim ad tam altum negotium, & ponderosum improporcionatus? Tu autem, cujus est negotium, impetres cum Serenissimo Francorum Rege, quod ad hoc manum teneat viriliter, & devotè, & etiam cum Magistris suis,  
& Bac-

& Bacchalaureis in Divina scriptura, & cum illis sume Artistas, ut tibi videbitur expedire in tanto, quod inter te, & Theologiam non sit dare aliquo modo *contrarietatem*; sed puram *Concordantiam*, atque meram, te existente ancilla, & Theologia Domina tua; cum sit tuus finis, eò quia Deus est subjectum ejus.

Respondit Philosophia: Raymunde benè dicis & ego faciam ad hoc quidquid poterò, cum tenear facere: Tu autem ne sis timidus, nec lentus; sed confidens, atque audax, & prædica Philosophicè ea quæ de me & de meis principijs audivisti, in excel-sis scolis, & plateis; habeas confidentiam in Deo, & in prædictis Imperatricibus, & in me, & meis Principijs, quia te associa-bimus, & fortificabimus, & te dirigemus, quando prædicabis, sive disputabis.

○ Finito autem sermone Philosophiæ, Dominae, & Raymundus ad Regem Serenif-simum Franciæ accesserunt, & ea quæ audiverunt ei dixerunt humilitèr, & devotè; Rex autem, qui humilis verus, & devotus est, ea quæ dixerunt benignitèr


accep-

acceptavit, & permotus fuit ad misericordiam, per ea quæ audivit, ad magnum bonum faciendum; Dominas autem in bonam spem posuit, & Raymundum.

Ad laudem, & honorem Dei, finivit Raymundus istum librum Parisijs mense Februarij, anno 1310. Incarnationis Domini Nostri Jesu-Christi.







# LIBER

DE EFFICIENTE ET EFFECTU.

*DEVS ALTISSIME ET PROFVN-  
de, qui es causa & finis omnium entium,  
perficias istum Librum, qui est de Effici-  
ente & Effectu.*



Arisijs Raymundus, & Averroista disputabāt: Ray-  
mundus dicebat, quod  
Deus est efficiens, & to-  
tum universum est effec-  
tus ejus. Averroista dice-  
bat, quod Deus est finis omnium entium,  
tamen non est efficiens; ipsi verò conve-  
ne-

nerunt inter se ; quod facerent unum li-  
brum in quo quilibet diceret fortiores ra-  
tiones ; quas habere posset ; Averroista ta-  
men dixit quod ipse probaret philosophi-  
cè , secundum modum intelligendi , quod  
Deus non est efficiens , sed tantummodo  
finis , sive causa primitiva : veruntamen  
quia erat Christianus assererat , quod Deus  
est efficiens , secundum modum credendi ;  
cum de Fide Catholica esset habituatus.  
Raymundus autem dicebat quod Deus  
est efficiens , & hoc intendit probare Phi-  
losophicè & etiam Theologicè : cum vera  
Philosophia sit ancilla Theologiæ ; subjec-  
tum autem Theologiæ est Deus & subjec-  
tum Philosophiæ est intelligibile ; & quia  
objectum intelligentis est *veritas* , & Deus  
est *veritas* , necessariò sequitur quod vera  
Philosophia , & Theologia habent con-  
cordantiam ad invicem : & ideò quidquid  
est verè intelligibile , ejus oppositum non  
est verè credibile ; aliter implicaretur con-  
tradictio : & contradictio est impossibilis.  
Quia Raymundus assererat , & Averroista  
negabat , ordinatum fuit , per eos quod

Ray-



3

Raymundus inciperet ad probandum Deū esse efficientem. Et Averroista dixit, quod rationes Raymundi improbaret.

## DE DIVISIONE HVJVS LIBRI.

**D**ividitur iste liber in tres *distinctiones*: Prima est de decem *Syllogismis* Raymundi. Secunda de decem *suppositionibus* Raymundi. Tertia de decem *objectionibus*, quas faciet Averroista contra Raymundum & decem *solutionibus* Raymundi. Et Primò de Prima.

## DE OPTIMITATE.

**I** **O** *Mne ens, quòd est per se unum, & singulare, est absolutum*: Ex hoc arguo sic: Omne ens, quod est per se unum, & singulare, & est per se absolutum, est *Causa prima, & Finis absolutus*; sed Deus est ens per se unum, singulare, & absolutum: ergo Deus est *Causa prima, & Finis absolutus*. A, & B. per se patent, & ad consequentiam istius sequitur, quòd

*Angelus* fit totus factus, seu creatus de nihilo, & quòd Deus solus fit efficiens: quia si *Angelus* fit æternus, per se non dependens à tempore, & sua bonitas esset ei propria, & eterna, & sic de alijs, ut de magnitudine, potestate, intellectu, voluntate, virtute &c. non indigeret habere finem suprà se, neque indigeret causa, cum esset per se totus perfectus; & si Deus esset ejus causa, & finis, hoc esset frustrà: & *Angelus* per Deum esset injuriatus; superfluitas autem & injuria non est de genere causæ, sivè finis. Probatum est ergo quòd *Angelus* est totus factus, & Deus est efficiens: & dicit quod est totus factus, quia de nihilo factus est, cujus non est aliquid *actu*, neque *in potentia*; quòd autem factum est de aliquo, quòd erat in *actu*, vel in *potentia* non simpliciter factum, sed *secundum quid*, posito quòd ens in actu, seu in potentia esset æternum, neque per consequens Deus esset totus efficiens, sed *secundum quid*, neque esset absolutè scilicet prima Causa, neque Finis, quod est impossibile.

**O**mnne ens agit propter finem: Et ideò arguo sic: Omne ens magis agens agit propter majorem finem; Deus est ens magis agens: ergo Deus agit propter majorem finem. A, & B. per se patent. Ad consequentiam istius Syllogismi, sequitur quod Deus sit Efficiens, & *cœlum* est Effectus, ut Deus sit major finis in faciendo *cœlum* cum sua bonitate, quæ est finis bonitatis *cœli*, cum sua magnitudine, quæ est finis magnitudinis *cœli*, & sic de alijs attributis; aliter si *cœlum* esset æternum, & non factum, & sua bonitas magnitudo &c. quæ sunt partes ejus non essent factæ, sed infactibiles, Deus non posset agere in *cœlum* propter *majoritatem finis*, sed propter *minoritatem*; & esset impedita, & impossibilis major agentia, & per consequens majoritas finis, quòd est impossibile, & contra Syllogismum, qui est primitivus verus, & necessarius: & probatum est verè, quòd Deus est Efficiens, & *cœlum* est Effectus.

## DE NECESSITATE.

3 **O**mnne ens magis necessarium est magis necessitans; sed Deus est ens magis necessarium: ergo Deus est ens magis necessitans. Ad consequentiam istius, sequitur quòd Deus est faciens *motum cœli*, ut sit magis necessitatus ad suum finem quoniam magis est necessitatus, si sua bonitas sit facta cum Bonitatē Dei, sua magnitudo cum Magnitudine Dei, sua duratio cum Æternitate Dei, sua potestas cum Potestate Dei, sius instinctus cum Intellectu Dei, sius appetitus cum Voluntate Dei, sua virtus cum Virtute Dei &c; quàm sint, si bonitas cœli, & magnitudo &c. essent Æternæ, & per se ipsas necessariae quoniam non indigerent motore necessario, neque per consequens sine superiori necessario, quòd est impossibile, & contra *majoritatem finis necessarij*. Patet ergo quòd motus est effectus, & Deus est Efficiens.

## DE VNITATE.

4 **O**mnne ens, quòd est magis unus finis agit magis in subiecto uno cuius est

*est finis* ; Deus est hujusmodi: ergo magis agit in subjecto uno cujus est finis . Ad consequentiam istius sequitur , quòd Deus sit Efficiens, & *homo* sit Effectus, ut Deus subjectivè sit magis finis hominis, quòd esset impossibile.

### DE PERFECTIÒNE.

5 **O** *Mne ens magis perfectum agit magis perfectè* ; Deus est ens magis perfectum : ergo agit magis perfectè . Ad consequentiam istius sequitur , quòd *potentia imaginativa* sit à Deo facta, ut sit magis propinqua ad suum finem perfectum, scilicet ad Deum, qui est finis omnium; aliter si ipsa potentia esset æterna non esset magis propinqua , & Deus non esset magis finis ipsius potentiæ, quia quiesceret in sua æternitate ; & patent A. propositio, & B. Syllogismi, quòd impossibile esset.

### DE OPERATIÒNE.

6 **O** *Mne ens operabilissimum agit operabilissimè* ; Deus est ens operabilissi-

bilissimum: ergo agit operabilissimè. Ex quo sequitur, quòd *potentia sensitiva* sit Effectus, & sic de suis speciebus, & individuis sensatis, quia in altitudine agentis emergit altitudo effectus, & in proximando effectum suo agenti altissimo, est descensus effectus, sive subjectum finis: ergo &c.

### DE PRINCIPIO.

7 **O** *Mne ens principialissimum agit principialissimè*; Deus est ens principialissimum: ergo agit principialissimè. Ad consequentiam sequitur quod *actio Dei sic factiva*, ut semper sit principiati-va, & quod *potentia vegetativa* sit facta, & incepta, & sic de suis speciebus, & vegetatis, ut tota sit principiata proptèr suum finem ultimum; veruntamen si ipsa esset æterna, esset minús sincera ergà suum finem, & claudicaret principium primitivum existens finis omnium vegetabilium, quod est impossibile: ergo.

### DE FINITIVO,

8 **O** *Mne ens magis finitivum agit magis finitivè*; Deus est ens magis, fini-

9  
finitivum : ergo Deus agit magis finitivè :  
& sic magis propter finem. Ad consequen-  
tiam istius sequitur , quod potentia *ele-*  
*mentativa* sit magis finibilis , & passibilis,  
& sic de suis speciebus , & individuis ele-  
mentatis . Si verò esset æterna , & non  
facta non esset tantum finibilis , neque  
Deus finitivus ; & finibile , & finitivum  
haberent infinitam distantiam ab ultimo fi-  
ne , quod est impossibile : ergo &c.

### DE ORDINATIONE.

9 **O** *Mne ens ordinatissimum* agit or-  
*dinatissimè* ; Deus est ens ordi-  
natissimum : ergo Deus agit ordinatissimè.  
Ad consequentiam istius sequitur , quod  
Deus sit Efficiens omnium *virtutum* to-  
tius Universi , propter ordinatissimum fi-  
nem , & quod omnes *virtutes* sint effectus  
ejus ; aliter si universum esset ab æterno ,  
virtutes essent difformatae , ratione cujus  
difformationis non possent emergere ad ul-  
timum finem qui non potest esse finis ulti-  
mus extrà virtutes , & ordinationem eorum.

DE

10 **O** *Mne ens naturalissimum agit naturalissimè ; Deus est ens naturalissimum: ergo Deus agit naturalissimè. Ad consequentiam istius sequitur, quòd Deus sit natura naturans factivé, & activé, & natura naturata sit facta, & passa, & hoc per totam substantiam universi, & accidentia ejus ; alitèr si natura naturata esset æterna distaret à natura naturante, & destrueretur finis ultimus naturæ in subjecto naturato, quòd est impossibile : patet ergo, quòd natura naturata est sub natura naturante facta, & passa.*

Finivit Raymundus suos decem Syllogismos, qui sunt ita verè intelligibiles secundum modum intelligendi, quòd Syllogismi oppositi non possunt esse verè intelligibiles, & hoc per omnes partes coessentialia supra tactas universi ; Raymundus autem antequam incepisset secundam distinctionem petivit ab Averroista, si vellet arguere cõtrà predictos Syllogismos. Respõdit Averroista quòd non; quia in Tertia Dis-

tinc-



inctionione faceret tales rationes, quòd cum  
 ipsis possent destrui? Syllogismi predicti.

## DE SECVNDA DISTINCTIONE.

1 **D**istinctio ista in decem supposi-  
 tiones est divisa; positiones au-  
 tem facimus super attributa Divina, quæ  
 sunt Divina bonitas, magnitudo, æternitas  
 &c. Postmodum autem faciemus contrà  
 positiones, ut investigemus, per quem mo-  
 dum intellectus humanus est magis intel-  
 ligens, videlicet aut cum positionibus, aut  
 cum contràpositionibus, & hoc cum quo  
 intellectus erit magis intelligens, intendi-  
 mus tenere, & suum oppositum negare,  
 cum majorem intelligibilitatem oporteat  
 esse veram, & minorem, seu oppositam esse  
 falsam; major autem intelligibilitas con-  
 sistit per attributa Divina cum sint priora,  
 & minor consistit per sensum, & imagi-  
 nationem, cum sint posteriores. Et Primò  
 de Prima suppositione dicamus.

### DE BONITATE:

2 **S**uppono esse bonum, quòd Divina  
 bonitas sit Efficiens omnium alia-  
 rum

rum bonitatum universi, & quòd ipsæ bonitates sunt factibiles, cum quibus universum est bonum; & si suppositio mala est, contrapositio bona est: ex quo sequitur, quod bonum est hoc, per quod Deus non est bonus faciens, & etiam hoc, per quòd sua bonitas minús participat cum bonitatibus universi. Etiam est bonum hoc, per quòd bonitates universi magis distant à Prima Causa, & Fine, quòd falsum est, & impossibile: demonstratum est ergo, quòd Deus est faciens bonus, atque bonitates universi sunt factibiles, sive factæ.

### DE MAGNITVDINE.

2. **S**uppono *Magnum* esse, quòd Divina *Magnitudo* sit Efficiens omnium *Magnitudinum* universi; & si positio parva est, sua contrapositio magna est, quòd falsum est, & impossibile; quia sequeretur, quòd Prima Causa, & ultimus Finis essent de genere parvitatatis, quòd est impossibile.

### DE ÆTERNITATE.

3. **S**uppono, quòd sit *durabile* illud per quòd Deus sit Efficiens omnium  
dura-

durabilium universi; & si suppositio pro-  
indurabilitate stat, ab æterno, & in æter-  
num est durable, quòd Deus non sit  
Efficiens durabilitatum universi, nequè  
ipsæ sint factibiles, quòd est falsum, & im-  
possibile; quia sequeretur quòd Prima Cau-  
sa, & ultimus Finis carerent subjecto eis  
relato, quæ carentia est impossibilis.

### DE POTESTATE.

4 **S**Uppono esse *possibile*, quòd Divina  
Potestas sit Efficiens, & omnes *po-  
testates* universi sint factibiles; & si positio  
impossibilis est, sua contrapositio possibilis  
est, quòd est falsum, & impossibile: quia  
si sic, necessariò sequeretur, esse verum id  
per quòd Deus posset esse minus Prima  
Causa, & Finis totius universi, quòd non  
est intelligibile.

### DE INTELLECTU.

5 **S**Uppono, quòd sit *intelligibile* esse  
verum hoc, per quòd Divinus in-  
tel-

tellectus intelligit se magis esse Primam  
 Causam, & Finem intellectivorum: & sic  
 fit necessariò, quòd ipse Divinus intellec-  
 tus sit Efficiens, & omnes intellectus sint  
 factibiles, & si positio intelligibilis non est,  
 sua contrapositio est intelligibilis, quòd  
 est falsum, & impossibile; quia sequeretur  
 esse verum hoc, per quòd Divina intellec-  
 tivitas, & extrinseca intelligibilitas essent  
 magis distantes subjectivè, & objectivè: &  
 sic de Prima Causa, & Fine; hoc autem  
 non est intelligibile.

## DE VOLUNTATE.

6 SUPpono, quòd sit *amabile*, quòd  
 Deus velit esse Efficiens, & quòd  
 omnes *voluntates* universi sint factibiles; &  
 si suppositio odibilis est, sua contrapositio  
 amabilis est, quòd est falsum, & impossi-  
 bile; eò quia sequeretur, quòd id per quòd  
 Deus minús diligat se esse Primam Cau-  
 sam, & Finem universi, esset verum; &  
 hoc, per quòd magis, esset falsum; hoc au-  
 tem non est amabile, intelligibile, neque  
 pos-

15

possibile: ergo demonstratum est, quòd  
Deus est Efficiens, & mundus est Effectus.

### DE VIRTUTE.

7 **S**Uppono, quòd sit virtuosum Deum  
esse Efficientem, & quòd mundus  
sit Effectus: & si positio vitiosa est, sua  
contrapositio virtuosa est, quòd est falsum  
& impossibile; quia si sic: omne id per  
quòd Deus magis esset Causa, & Finis uni-  
versi, esset vitiosum, & hoc per quòd mi-  
nus, esset virtuosum; hoc autem concedere  
esset vitiosum, falsum, & impossibile.

### DE VERITATE.

8 **S**Uppono esse *verum*, Deum esse Ef-  
ficientem, & quòd universum sit  
Effectus ejus; & si suppositio falsa est, sua  
contrapositio vera est, quòd est falsum, &  
impossibile; quia si esset vera, necessariò  
sequeretur esse verum omne illud, per quòd  
Deus esset minus Causa, & Finis omnium  
aliarum *veritatum*, quòd est falsum, &  
impossibile.

DE

## DE GLORIA.

9 **S**uppono, quòd sit *gloria*, & laus Deo, ipsum esse Efficientem omnium *gloriarum*, & quòd ipsæ sint factibiles; & si suppositio non est de genere laudis, atque *gloriæ*, contrapositio laudabilis est; quòd pœnosum est & falsum, & impossibile; eò quia si sic: hoc per quòd Deus esset Finis, & Causa omnium entium, esset derogabile, & de genere pœnæ; hoc autem non est intelligibile, amabile, neque possibile.

## DE PERFECTIONE.

10 **S**uppono quòd sit *perfectum*, Deum esse Efficientem, & quòd omnes perfectiones universi sint factibiles; & si suppositio *imperfecta* est, necessario sequitur, quòd sua contrapositio sit *perfecta*; hoc autem non est intelligibile; sed falsum, & impossibile; quoniam si esset vera, necessario sequeretur omne illud per quòd Prima Causa, quæ est ultimus Finis, inficeret, & deformaret totum universum subjectivè,

vè, & objectivè, quòd est falsum, & impossibile.

Probavimus per supradictas *suppositiones*, quòd Deus est Efficiens, & univèrsum est Effectus ejus, & hoc per veras rationes, quia *suppositiones* oppositæ non sunt de genere intelligibilitatis. Raymundus autem petivit ab Averroista, utrum vellet argue-  
re in oppositum; Averroista autem tacuit: & sic incepit *tertiam Distinctionem*.

### DE TERTIA DISTINCTIONE.

**A** It Averroista: Raymunde, audiivi tuas rationes, quas inducis ad probandum, quòd Deus est Efficiens, & mundus Effectus; ego autem intendo improbare quòd ponis, videlicet, quòd Deus non sit Efficiens, & mundus Effectus, & hoc per decem subjecta, quæ sunt hæc.

*Angelus, substantia mundi, cælum, motus, forma, materia, species, miraculum, virtutes morales, & objectum*. Et sicut datur exemplum de istis: ita potest dari de pluribus alijs ad placitum.

Ra-

Rationes autem, quas intendo inducere, quoad sensum, & imaginationem, atque intellectum negari non possunt, cum intellectus faciat scientiam, cum sensu, & imaginatione; & hoc de sensibilibus, & imaginabilibus; non autem de abstractis, spiritualibus, & de Deo; quia sunt objecta de quibus spiritus facit scientiam supra sensum, & imaginationem; cum objecta sint altiora, & veriora, & de genere intelligibilitatis, ut in *Prima*, & *Secunda* Distinctione tactum est; & intendo tibi objicere & improbare, & solvere tuas rationes.

### DE ANGELO.

1 **A** It Averroista: Angelus est spiritus, & est actus purus; & ideò; non est factibilis: ex quo sequitur, quòd Deus non facit ipsum; quoniam facere, est aliquid deducere de potentia in actum; Angelus autem non fuit in potentia, sed est ens existens actu.

2 Ulterius Angelus est æternus; quòd est æternum, non est factibile; quia implicaretur contradictio.

3 Itèm



3 Itè m de nihilo , nihil fit , cum in nihilo , nihil fit ; si autem Angelus esset factus , quòd esset factum , non esset factum : & ideò patet , quòd Angelus non est factibilis , neque per consequens Deus est Efficiens ejus.

4 Iterùm si Angelus est æternus ratione suæ æternitatis , Deus est altior , & nobilior Causa , & Finis ejus ; talem autem altitudinem , & nobilitatem , Deus non haberet , si Angelus esset factus , quia ex nobilitate subjecti reperitur nobilitas esse , & finis.

5 Ad Primam rationem dixit Raymundus : posito , quòd Angelus sit Spiritus , & sit actus purus , neque pro tanto sequitur , quòd non sit factibilis ; Angelus enim constitutus est ex principijs innatis , scilicet ex sua substantiali *bonitate* , *magnitudine* , *duratione* , &c. & quia ista sunt factibilia , ut probatum est in Secunda Distinctione ; & sine istis principijs Angelus esse non posset : ergo probatum est , quòd est factibilis. Et quando dicis , quòd est actus purus , malè dicis , quia actus purus non dependet à Prima Causa , neque ab alio fine.

6 Ad Secundam rationem: quando dicis, quòd Angelus est æternus, tu petis; per sensum autem, aut per imaginationem, non habes, quòd fit æternus.

7 Ad Tertiam: quando dicis, quòd de nihilo nihil fit; Hoc non habes per sensum, neque per imaginationem, cum non fit objectum eorum. Facere autem, duobus modis intelligitur. Vnus modus est, *quando aliquid deducitur de potentia in actum*, ut rosa de rosario, aut arca de ligno. Alius modus est, *quando deducitur aliquid in esse, quòd non erat*; & tale facere, dicitur creare de nihilo aliquid; Intellectus autem Divinus est absolutus, & infinitus; quia intelligit quòd est, & quòd non est: & sic ipse est absolutus *objectivè*: sicut sua potestas est absoluta *subjectivè*; eò quia potest facere, quòd non erat in potentia, neque in actu: & sic tua ratio non procedit.

8 Ad Quartam rationem: dico, quòd si Angelus est æternus, ut Deus sit altior Causa, & Finis, sequeretur, quòd nobilitas Dei esset per accidens, quia esset per aliud, & non per se, quòd est impossibile,

cum

cum Deus simpliciter sit per se, & quidquid habet, habeat propter se: & ideò nihil concludis.

## DE SUBSTANTIA MUNDI.

9 **A** It Averroista: Substantia mundi est continua, & una, non augmentabilis, neque diminuibilis, & est prædicabilis, & habet sua accidentia prædicabilia: & ideò Analogicè considerando, substantia est ens per se existens, & non est, ut sint sua accidentia; sed è conversò; tale ens sic existens per se non est factibile: ex quo sequitur, quòd non habet Efficientem.

10 Ulteriùs: Si esset factibilis, hoc esset successivè, mediante motu, quòd est impossibile; quoniam ens motum non est in se ipso in totum motum, quia si sic, esset discontinuatum: patet ergo, quòd substantia mundi neque est facta, neque factibilis.

11 Ad Primam rationem dixit Raymundus: Averroista tu consideras secundum sensum, & imaginationem in subjecto superiori, quòd non considerare debes nisi

H

in

in subjecto inferiori, sicut est substantia particularis deducta de potentia in actum; substantia autem mundi nunquam fuit in potentia; quia deducta est in esse, & hoc sine successione, & est deducta cum omnibus accidentibus suis, sine quibus esse non potest, ipsa permanente Analogicè, sicut dicis: & ideò non habeo pro inconveniente, si totum est deductum de non esse, & totum sine successione. Tua etiam secunda ratio, sicut prima soluta est, solvi potest.

### DE COELO.

12 **A** It Averroista: Coelum est incorruptibile; quòd est autem incorruptibile, non est factibile: ergo est æternum. Ens æternum non patitur factionem; conspirata autem factione, faciens est impossibile.

13 Itèm: Quòd coelum sit æternum, sic probo: quia si esset novum, Deus ab æterno esset otiosus; otiositas autem non est de genere perfectionis, sed imperfectionis; Deus autem perfectus est.

14 Item

14 Item Deus est purus actus; quòd autem est purus actus, immutabile est; si autem mundus esset novus, Deus esset mutatus & novatus, per hoc, quia fecit quòd non faciebat: ergo probatum est, quòd cœlum non est factibile.

15 Ad Primam rationem, dixit Raymundus: Quando dicis, quòd cœlum est incorruptibile, tu petis, quia non habes per sensum, neque per imaginationem, quòd non sit corruptibile.

16 Ad Secundam quando dicis, quòd Deus esset otiosus ab æterno, si cœlum esset novum: Respondeo, & dico, quòd non sequitur; eò quia agit intrinsecè in se ipso, posita Divina Trinitate, quam Trinitatem in pluribus libris nostris probavimus. Etiam, si Deus ponit cœlum esse æternum, ut non sit otiosus, indicat suam operationem ad extrà, ut evadat otiositatem: etiam sic sequeretur, quòd esset indigens, quòd est impossibile.

17 Ad Tertiam: quando dicis, quòd Deus est purus actus, concedendum est, & quia est æternus, immutabilis est; Dico autem,

tem, quòd coelum non potest immutare æternum, cum finitum non habeat actionem in infinito; sed è converso: ideò patet per omnia ista, quòd non concludis.

## DE MOTU.

18 **A** It Averroista: *Motus* cœli est mensura continua in subjecto in quo est; in motu continuo non est successio; sed in subjecto discontinuato ab alio subjecto, ut *Saturnus*, *Jupiter*, &c. *Motus* autem in quantum est genus, non: unde non est factibilis, cum facere sine *Motu* particulari esse non possit.

19 Ulteriùs: *Motus* Octavæ Spheræ non est inceptibilis; eò quia non habet principium, cum sit circularis; quòd non habet principium, fieri non potest: patet ergo per ea, quæ dicta sunt, quòd motus non est factibilis, ex quo sequitur, quòd non habeat facientem.

20 Ad Primam rationem, dixit Raymundus: quando dicis quòd *Motus* est mensura continua, &c. Non habeo pro inconveni-

enti,

enti, si Deus deducit de nihilo motum continuatum, sive genus; sicut deducit suum subjectum, ut coelum, sicut supra dictum est.

21 Ulteriùs: Quando dicis, quòd *Motus* Octavæ Spheræ non est inceptibilis, cum non habeat principium; tamen dicis naturalitèr; non autem secundum Deum, qui agit creativè, sic deducendo totum motũ continuatum, sicut & subjectum circula-  
tũ: & ideò meæ rationes stant; & tuæ non.

### DE FORMA.

22 **A** It Averroista: Forma non est de genere passionis ex sua essentia, nisi in quantum est deducta de potentia in actum: & ideò si simpliciter est factibilis, simpliciter esset de genere passionis, quòd est impossibile.

23 Item si forma simplex esset factibilis creativè, esset factibilis successivè, & sequeretur, quòd esset divisibilis, quòd est impossibile: concluditur ergo, quòd forma non est factibilis à Deo.

24 Ad Primam rationem dixit Raymundus:

24 **du**: Quando tu dicis, quòd forma non est de genere passionis, &c. Verum dicis, comparativè ad materiam; non autem simpliciter: & hoc patet, quia forma rosæ mota est *de potentia in actum passivè* per formam rosarij, & forma rosarij per formam cœli: ergo quid mirum, si Deus faciat formam simpliciter de non esse in esse, cum sit *Causa Prima*, & *Finis* ejus.

25 **Ad Secundam rationem**: Respondeo, & dico, quòd non habeo pro inconvenienti, distinguendo inter *facere*, & *facere*, ut suprà dictum est, scilicet *facere simpliciter* formam, quæ non erat, & *facere secundum quid* formam existentem in potentia, & deducere ipsam in actu; Deus autem agit immediatè in quantum simpliciter agit: & agit mediatè in quantum cum forma cœli movet formam rosarij, & cum forma rosarij movet formam rosæ: & ideò non concludis.

### DE MATERIA PRIMA.

26 **D**ixit Averroista: *Materia prima* non est factibilis: quia si sic, & illa



illa esset facta de alia, & sic in infinitum, quòd est impossibile.

27 Ulteriùs: Forma est de potentia materiae, cum ipsa materia habeat in potentia omnes formas; illa autem potentia non est factibilis, cum includat in se omnes formas: & ideò concluditur, quòd Deus non est Efficiens, neque materia, Effectus ejus.

28 Ad Primam rationem, dixit Raymundus: Quando dicis prima materia non est factibilis, &c. Verum dicis successivè, posito, quòd quaelibet materia esset prima: & quia implicaret contradictio, scilicet, quòd prima materia esset prima, & non esset prima; non autem habeo pro inconvenienti, si Deus deducat materiam primam faciendo ipsam, quæ non erat, non aliquo sibi præjacente, cum tale facere sit simpliciter à parte facientis; non autem aliquo modo à parte factibilis: sicut factibile, ut arca, aut spica in grano in potentia, quæ sunt proportionativè à parte facientis & factibilis.

29 Ad Secundum: Quando dicis quòd forma est de potentia *materia*, &c. istam nego; quia si sic, esset de genere *materia*, quòd

quòd est impossibile ; illa autem forma, quam tu dicis, est *forma particularis*, quæ generativè est de alia forma naturalitèr: sicut *materia particularis*, quæ est de alia particulari, cum sit sic una *forma prima*, sicut una *materia prima*, & hoc probavi in pluribus libris alijs: patet ergo, quòd nihil concludis.

### DE SPECIEBUS.

30 **S**pecies non sunt factibiles, ut species humana, asinina, & hujusmodi, cum sint immateriales: ex quo sequitur, quòd Deus non est Efficiens earum.

31 Ulteriùs: species sive phantaziæ cum quibus potentia attingit objectum non sunt factibiles à Deo, cum sint factibiles à potentia visiva, imaginativa, intellectiva, & hujusmodi: patet ergo per quem modum probatum est, quòd Deus non est Efficiens.

32 Ad Primam rationem dixit Raymundus; Quando dicis, species non sunt factibiles, &c. Respondeo, & dico, quòd non sunt factibiles deducendo ipsas de potentia in actum: sicut individuum, ut rosa, & hujusmodi;

hujusmodi; verumtamen factibiles fuerunt, ut quando mundus fuit deductus de nihilo: sic fuit factus creativè suus locus, suum tempus, sua quantitas, &c.

33 Ad Secundum: Quando dicis, quòd species, seu phantaziæ non sunt factibiles à Deo: Respondeo, & dico, quòd species seu phantaziæ sic fuerunt positæ in subjecto creativè in *potentia* à Deo: sicut cum ipso fuit faciendo, & ponendo speciem humanam, asininam & hujusmodi, quando mundus fuit creatus: similiter quoad species phantasticas, quæ deducuntur in actum: sic; & multò melius sub factione Dei primitiva: sicut rosarium facit rosam per factionem cœli: & ideò tua ratio non procedit.

## DE MIRACULO.

34 **A** It Averroista: Deus non facit miraculum; quoniam posito, quòd miraculum esset, non esset sine subjecto actu: & sic non esset creabile, neque factibile.

35 Ulteriùs: Miraculum, ut quòd puella pariat

pariat filium, aut resurgere hominem mortuum, & hujusmodi, per ipsum miraculum, si esset, difformaretur omne universum à sua natura, & à suo motu, quòd est impossibile: concluditur ergo quòd Deus non est Efficiens miraculum; quia non potest agere contrà naturam, & ordinationem subjecti cujus est Causa, & Finis

36 Ad Primam rationem dixit Raymundus: Quando dicis, quòd miraculum non est factibile, &c. Dico, quòd est factibile à Deo per suam actionem infinitam, & per subjectum extrinsecum deductum de non esse in esse; tamen quia miraculum dependet ab actione Divina, & à subjecto creato de nihilo; ratione cujus, miraculum habet dependentiam, & dependet à natura subjecti cum quo est, natura existente subiecta Divinæ actioni Effectivè.

37 Ad Secundum: Quando dicis: quòd si Deus faceret miraculum, esset contrà ordinationem subjecti, cujus est Causa, & Finis. Respondeo, quòd Deus, quidquid agit, primariò propter se agit: & ideò agit miraculum, ut sit magis Finis sui subjecti,

&

& etiam *Causa*; quoniam plus est agere aliquid de nihilo, & de aliquo aliud, & de nihilo & aliquo aliquid, ut miraculum; quàm sine miraculo tantummodò: & hoc, intellectus rationabiliter negare non potest, neque univèrsum ex hoc, recipere inordinationem, seu difformitatem: cum totum sit factum propter majorem Finem.

### DE VIRTUTIBVS MORALIBVS.

38 **D**ixit Averroista: *Prudentia, &c.* sunt virtutes in homine in potentia, antequam sint deductæ in actum; ipse autem homo liberè deducit ipsas de potentia in actum: ex quo sequitur, quòd solus homo est Efficiens; non autem Deus; quia si Deus esset Efficiens, jam cogeret hominem ad agendum ipsas, & homo dimitteret suum liberum arbitrium, & per consequens meritum; Deus autem hoc facere non potest, quia injuriaret homini.

39 **U**lteriùs: Virtutes Theologales, ut Fides, Spes, Charitas non sunt à Deo factibiles; quia si sic, non essent meritoria: si-

cut

cut de Virtutibus Cardinalibus dictum est: & ideò sicut Deus esset defectivus in istis habitibus, eò quia non potest eos facere; sic in pluribus; & ideò, si Deus sit defectivus in uno, necessariò sequitur, quòd in pluribus, sive in omnibus, cum sit Efficiens, ut tu dicis.

40 Ad Primam rationem dixit Raymundus: Quando dicis, quòd *Justitia, Prudentia, &c.* sunt virtutes in homine in potentia, &c. non habeo pro inconvenienti, si Deus faciat *primam potentiam* virtutum in subjecto, & quòd per *secundam potentiam* hominis, & per dispositionem ejus, Deus *successivè, & subjectivè* deducat ipsas virtutes de potentia in actu; homo autem se ipsum disponit ad recipiendum illos habitus activando, *cum secundo actu, & primo creato*; & quia liberè se disponit, & liberè agit, acquirit meritum, cum liberè faciat se Justum, Prudentem &c.

41 Ad Secundum: Dico, quòd homo cum Virtutibus Cardinalibus se disponit ad capiendum Virtutes Theologicas à Deo simpliciter factas: & sic concluditur, quòd

Deus

Deus est Efficiens Virtutum, & Virtutes sunt Effectus: Et hoc; per nullum impossibile impediri potest; quia si sic, ipsum impossibile scilicet accidens creari in aliqua substantia, impediret & ligaret, quòd Deus esset impeditus ad agendum virtutes, quòd est impossibile: cum substantia finita ligare non possit infinitam.

### DE OBJECTO.

42 **R**aymundo dixit Averroista: Potentia cognoscitur per actum, & actus per *objectum*: ex quo sequitur, quòd *objectum* moveat potentiam, & potentia actum: & ideò sequitur, quòd potentia est actu Efficiens per actum suum secundarium, & *objectum* est Efficiens, quia movet potentiam, ut ipsa moveat se ad ipsum *objectum*: ergo Deus non est Efficiens potentia, actus, nec *objecti*.

43 Ulteriùs: Habeo per te, ut supràdictum est, quòd homo disponit se ad accipiendum habitum virtutum: ergo homo est Efficiens ipsius dispositionis, & non Deus

Deus. Adhuc dico: Differentia naturalis est inter Efficiens, & factibile; & ideo si Deus esset Efficiens, illa differentia esset communis inter Deum Efficientem, & Effectum; Deo autem non potest compati aliquid supra se. Iterum, si Deus esset Efficiens, objectaret factibile, ut ipse esset agens: ex quo sequeretur, quod indigeret factibili, quod est impossibile: cum sit actus purus, non aliquo extra se indigens, ut tu dicis.

44 Ad Primam rationem, dixit Raymundus: quando dicis, quod potentia cognoscitur per actum, &c. Concedo; sed non propter hoc remanet, quod Deus non sit faciens primitivus & movens, & etiam faciens secundarium: ut sicut coelum, quod est primus motor, movet rosarium, quod est secundus motor, & movet rosam.

45 Ad Secundum: quando dicis, quod homo est faciens suam dispositionem, respondeo distinguendo, quod Deus facit totam essentiam dispositionis, cum sit primitivus motor; homo autem utitur dispositione liberè, & sic per accidens est secun-  
da-



*darius* motor, ut meritum acquirere possit.  
 46 Ad Tertiam: Quando dicis, quòd differentia naturalis est inter faciens, & factibile, &c. Respondeo, quòd aliquo modo dictum, veritas est: sicut quando agens agit agibile, & differunt distinctione in genere; sed non in specie: sicut homo generans hominem; & differunt, in quantum generans est de genere *actionis*, & genitus de genere *passionis*: alio modo est, quando agens & agibile differunt ad invicem, & non per aliquod commune, quia supra Deum nihil est; sed differunt per se ipsos: & ideò omnibus modis consideratis tuæ rationes solutæ sunt; meæ autem non.


Averroista, & Raymundus finiverunt istum Librum & ipsum venerandæ Universitati Parisij obtulerunt, ut ipsa daret iudicium, super his, quæ dixerunt. Liber autem Parisijs est finitus ad laudem, & honorem Dei, mense Maij, anno 1311. Incarnationis Domini Nostri Jesu-Christi. Amen.

Deo gratias.

Lector


Lector benevole, cum in recognitione huius Libelli esset penès nos unicum dumtaxat exemplar, si quid in hoc ipso Libello, aut inverfè, aut diminutè scriptum offendatur, ut nobis venia detur, & castigatiora exemplaria consulantur, rogamus. Vale.





# DEVS

*CVM TVA GRATIA, SAPIENTIA, & virtute, atque inefabili charitate incipit Liber novus Physicorum compendiosus.*



UM aggredi rerum Physicarum Principia, & sufficientè eadem determinare, valdè sit arduum & difficile, cum sint ab omni sensùs, & imaginationis ambitu sequestrata: idcirco idoneum est, *horum Principiorum naturalium*, notitiam cum Principijs, & Regulis Artis Generalis investigare. Per Principia enim & Regulas Artis Generalis, Principia omnium aliarum Artium breviter, & facilitè cognoscuntur. Hujus quidem Principia, & Regulæ sunt ista.

Bonitas	Magnitudo	Æternitas
Potestas	Sapientia	Voluntas
Virtus	Veritas	Gloria.

§.

Differentia	Concordantia	Contrarietas
Principium	Medium	Finis
Majoritas	Æqualitas	Minoritas.

Regulæ autem sivè Quæstiones Generales sunt hæ: Utrum sit? Quid sit: De quo sit? Quare est? Quantum est? Quale est? Quando est? Ubi est? Quomodo est? Cum quo est?

Hæ enim Regulæ, & Principia ambiunt quidquid est, & per ipsa, quasi nuducimur in doctrinam.

### *DIVISIO LIBRI.*

**D**ividitur iste Liber in tres Distinctiones. Prima est de *Natura*. Secunda de *substantia naturata*. Tertia erit de *Motu naturali*. De his autem doctrinâ habitâ, ad speciales considerationes entis naturalis erit perfacile descendere.

## DISTINCTIO PRIMA.

**D**istinctio hæc in Quatuor Partes dividitur . In Prima Parte de ipsa natura prædicabimus sua Principia innata . In Secunda determinabimus de suis Correlativis Generalibus . In Tertia Parte definie- mus ipsam . In Quarta deducemus ean- dem per decem Regulas Generales.

### PARS I.

#### DE NATURA PER PRINCIPIA.

1 **N**atura est *bona* ; & est bona , ita ut ipsa sit ratio bono, quòd producat bonum naturalitèr , ut sic sit bona existendo, & agendo; aliter enim non esset completè bona.

2 Natura est *magna* , & est ita magna, quòd sua bonitas, differentia &c. sunt magne, ut sua actio, & passio sint magnæ; aliter enim suum agere , & existere non essent magna, & per consequens suus motus.

3 Natura est *durabilis* , & in tantum , quantum sua principia innata durant , &

4  
in suo motu est permanens, & nullum ens  
ei naturalitèr repugnans.

4 Natura est *potens* activando, & patien-  
do, ut suus motus sit in ipsa quietatus, &  
non sit extrà ipsam permanens.

5 Natura habet *instinctum*, ut habeat  
motum regulatum ad terminum ad quem,  
& regularitèr ab ipsa procedat, ut sit in  
successione ordinatè.

6 Natura habet *appetitum*: Nam per ip-  
sum appetitum, ipsa principia innata appe-  
tunt agere naturalitèr in subjecto in quo  
sunt, ut ab ipso vacuitas, & otiositas ex-  
tirpetur.

7 Natura est *virtuosa*, ut cum suis Prin-  
cipijs agat virtuosè actionando, patièdo,  
& conjungendo, & in se ipsâ proprium  
motum claudendo.

8 Natura est *vera*, ut suum existere, &  
agere sit verum; alitèr suus motus non es-  
set verus.

9 Natura est *delectabilis*, per hoc quia  
est, & quia motus suus habet delectatio-  
nem, per quam deducit entia, quæ sunt in  
potentia ad effectum, in quo actu quiescit:

& per

§

& per consequens suum subjectum est in quiete.

10 Natura habet *differentiam*, quæ est suum principium innatum, ut genus habeat suas species divisas, & quælibet species plura individua differentia in numero, ut suus motus habeat plura, & diversa subjecta.

11 Natura habet *Concordantiam*, quæ est suum Principium innatum, cum qua concordat plura in unum, & plura ad se invicem concordant, ut natura non sit vacua, & otiosa ipsâ Concordantiâ.

12 In Natura est *Contrarietas*; sed per accidens, ut caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, levitas, ponderositas; aliter non esset corruptio; privata autem corruptione, privatur generatio: & per consequens Natura.

13 Natura habet *Principium* innatum cum quo Principiat Principiata Principiabilia naturalia.

14 Natura habet *Medium*, scilicet *Naturare* existens æqualiter inter *Naturantem*, & *Naturabilem*, ut per ipsum sint conjuncta,

juncta, ut ipsa natura sit una essentia absoluta indivisa.

15 Natura se habet ad suum *finem* cum suis Principijs innatis, ut cum ipsis sit in quiete.

16 Natura habet *Majoritatem*, ut cum ipsa habeat majores operationes, & passionibus.

17 Natura habet in se *Æqualitatem*, cum qua causat æquales actiones, & passionibus, per proportionem ad pondus.

18 Natura dependet à *Minoritate*, cum de nihilo sit creata, ratione cujus causat minores actiones, & passionibus.

Prædicavimus de Natura sua Principia, ex quibus sua existentia, & agentia cognosci potest subtilitèr intuenti.

## PARS II.

### DE CORRELATIVIS.

**N**atura habet Correlativa suorum Principiorum innatorum, sine quibus non posset motum naturalem habere, & hoc ostendo sic: Nullum ens naturalitèr *bonum* est sine Correlativis natura-



turalitèr bonis; sed *natura* est ens naturalitèr bonum: ergo habet Correlativa naturalitèr bona. Probo majorem; nam minor de se patet: Nullum ens enim sine illo naturalitèr est bonum, sine quo natura ejus otiosa est, & vacua; sed bonitas sine Correlativis est vacua, & otiosa, sine his enim non est bonificare; sine bonificare autem naturali, non est naturalitèr bonum: ergo nullum ens est naturalitèr bonum, sine Correlativis naturalitèr bonis. Correlativa naturæ sunt *Naturans bonificans, naturabile bonificabile, naturare bonificare*: & ex his constitutum est ens bonum naturalitèr. Et etiam ostenditur sic.

C Nullum ens naturalitèr *magnum* est sine Correlativis naturalitèr magnis; sed Natura est ens naturalitèr magnum: ergo habet Correlativa naturalitèr magna, cum quibus habet motum naturalem. Minor de se patet. Probo majorem: Quia nullum ens est naturalitèr magnum, sine illo, sine quo ejus natura otiosa esset, & vacua; sed magnitudo, sine Correlativis naturalitèr magnis, scilicet *magnificativo magnificabili, &*  
*mag-*

*magnificare* est otiosa, & vacua, quia nullam habet operationem: ergo nullum ens naturaliter magnum est sine Correlativis. Et adhuc sic.

D Nullum ens naturaliter *durans* est sine Correlativis naturaliter durantibus, cum quibus habet motum naturalem; sed natura est ens naturaliter durans, quòd per se patet: ergo natura habet Correlativa naturaliter durantia, cum quibus habet motum naturalem. Probo majorem: Quia ens durans vacuum est, & frustra sine *durativo*, *durabili*, & *durare*: ergo &c.

Quòd ostenditur ex parte *potestatis* sic.

E Nullum est ens naturaliter *potens* sine correlativis per se potentibus, cum quibus habeat motum naturalem; natura autem est hujusmodi: ergo &c. Minor patet Probo majorem: Quia ens potens sine *possificativo*, *possificabili*, & *possificare* non habet operationem; tale autem est otiosum & vacuum: ergo &c.

F Et ostenditur ex parte *instinctus* naturalis, sic: Nullum ens naturaliter habet instinctum sine Correlativis ei naturalibus,

bus,

9  
bus, cum quibus habet motum naturalem;  
sed natura habet instinctum: ergo &c. Ma-  
jor patet; quia ens habens instinctum sine  
Correlativis, instinctus naturaliter esset si-  
ne operatione, & sic vacuus, & otiosus.  
Minor per se patet, scilicet, quod natura  
habeat instinctum.

G. Et ostenditur, ex parte *appetitus* sic:  
Nullum ens naturaliter habet appetitum,  
sine Correlativis naturaliter appetentibus;  
sine his enim esset vacuum, & otiosum,  
cum non haberet operationem; sed natura  
habet appetitum, ut per se patet: ergo &c.

H. Et ostenditur ex parte *virtutis* sic.  
Nullum est ens naturaliter virtuosum, sine  
Correlativis naturaliter virtuosis, cum qui-  
bus habet motum naturalem; sine his enim  
non haberet actionem, nec passionem, &  
sic esset otiosum, & vacuum; sed natura  
habet virtutem, ut patet: ergo &c.

I. Et probatur ex *veritate* sic: Nullum  
est ens naturaliter verum, sine correlativis  
naturaliter veris; quia sine his non habe-  
ret actionem nec passionem, & sic esset  
otiosum, & vacuum; sed natura habet

*veri-*

*veritatem*, ut patet: ergo &c.

**K** Et ex parte *Gloriæ* sic. Nullum est ens naturalitèr in delectatione sine correlativis delectabilibus; alitèr esset otiosum, vacuum, & extrà finem deductum: sed natura habet delectationem finis; omne enim agens naturale agit propter finem: ergo Natura habet correlativa suorum principiorum innatorum, sine quibus esse non potest, & cum quibus motum habet naturalem.

Sicut autem per prædicta *novem principia* fecimus probationes, sic per alia etiam fieri possent: relinquitur autem hoc, & etiam per ea, quæ dicta sunt subtilitèr intuiti, potest cognosci faciliùs omnis motus *particularis*.

### PARS III.

#### DE DEFINITIONIBVS NECESSARIJS.

**I** Natura est ens *bonum*, cui competit propriè naturale *bonificare*. Natura est ens *magnum*, cui propriè competit naturale *magnificare*. Natura est ens

*du-*

*durans* cui propriè competit naturale *durificare*, & sic proportionatè de alijs &c. Natura est ens *minorificans*, cui propriè competit *minorificare* &c. Definivimus naturam per sua principia innata, & per talem definitionem cognosci potest Esse, & Essentia ipsius naturæ, & eorum particularium, quæ ab ipsa naturalitè descendunt eò quia definitio est signum definiti.

#### PARS IV.

### DE DEDUCTIONE NATURÆ

*Per Regulas.*

R I **Q**Uæritur utrum sit natura una in communi omnium entium corporalium? Et dico, quod sic: Alitèr quinque potentiaè principales universi, scilicet *Cælestiativa*, *Imaginativa*, *Sensitiva*, *Vegetativa*, & *Elementativa* essent discontinuatæ, & non existerent sub una communi *bonitate*, *magnitudine* &c. & per consequens ejus motus esset divisus, discontinuatus, & privaretur generalis successio: & esset vacuitas, & otiositas generata, & in potentia naturæ

ma-

maximè, & ejus purus nunc; & quia ista sunt impossibilia, concluditur, quod de quæstione, affirmativa est tenenda.

R 2 Quæritur, quid est Natura? Et patet quid sit in Tertia Parte, ubi definitur. Et etiam potest dici, quòd, *ens cui propriè competit naturare.*

Quæritur, quid habet Natura in se sibi coessentialiale? Et dico, quod sua Correlativa, scilicet *Naturans, Naturabile, Naturare.*

Quæritur, quid est Natura in alio? Respondendum est, quod in suis particularibus, agendo est forma, & patièdo est materia, & quando corrumpuntur, & revertuntur ad ipsam, est recipiens ipsa.

Quæritur, quid habet natura in alio? Dico, quod habet in suis particularibus naturalibus suum motum, generationem, & corruptionem, deducendo in actu quæ habet in potentia generando, & corrupendo particularia antiquata, ut eveniant particularia nova, & ut suus motus sit continuus, & successivus.

R 3 Quæritur, de quo est Natura? Responden-

pondendum est, quòd primitivè est de se ipsa, quia est creata de nihilo, & est specificè de sua forma & materia conjunctis, cum quibus agit specificè, & quia patitur, manente suo motu proprio, & est in potentia Universi.

R 4 Quæritur, quare est Natura? Respondendum est, quòd est *formaliter*, quia est de suis principijs, innatis, & specificis constituta. Et est *finaliter*, ut sint naturata particularia, ut Universum sit in perfectione sua.

R 5 Quæritur, Quanta est Natura? Dico, quòd Natura est tanta, quantum est subiectum naturatum per ipsum, in perfectione, & Esse constitutum, & continuatum. Et est tanta, quanta sunt sua particularia naturalia, quorum ipsa est Causa.

R 6 Quæritur, Qualis est Natura? Et dico, quòd talis *propriè*, quales sunt generationes, & corruptiones per ipsam. Et *appropriatè* est talis, quales sunt bonitates generando, & malitiæ corrumpendo, & privando individua, & sic de alijs.

R 7 Quæritur, Quando fuit Natura? Respon-

pon-

pondendum est, quòd *tunc*, quando fuit cum suo *nunc*, vel creata fuit, & ex illo *nunc* fuit in successione, usque in hoc *nunc*. Ratio hujus est, quia suus motus est continuus indivisus.

R 8 Quæritur, Ubi est Natura? Dico, quòd in suo Ubi, vel loco, cum quo simul creata fuit, & in suis partibus substantialibus, & accidentalibus, sine quibus esse non potest, & tota Ubique agit, & patitur.

R 9 Quæritur, Natura Quomodo est? Et dico, quòd est per illum modum per quem est in motu in suis particularibus, & per ipsa est mota.

R 10 Quæritur, Natura cum quo est? Respondendum, quòd cum suis principijs innatis, & correlativis, & causis, & cum motu in suis partibus, vel particularibus, sine quibus esse non potest. Deduximus Naturam per Regulas, ex quo de ipsa Natura esse quæsitum certificari potest.

## DE SECUNDA DISTINCTIONE *quæ est de substantia creata.*

**D**istinctio hæc in duas partes est divisiva. In prima parte determinabimus

de



de substantia corporali, quæ est subjectum, & fundamentum naturæ, per hoc, quia est magis densa natura, & magis rara. Et talis substantia est divisa in quinque substantias, scilicet *Cælestiativam*, *Imaginativam*, *Sensitivam Vegetativam*, & *Elementativam*: in his enim quinque clauduntur omnia entia corporalia, in quibus Natura est radicata, & mota; & ab ipsâ corporali Naturâ exeunt prædicamenta accidentium. In secunda parte determinabimus de natura, ex qua, substantia corporalis est naturata: & primò de primi dicemus.

## DE SVBSTANTIA CORPOREA.

**P**rimam substantiam corpoream quam investigamus, sic ostendimus. Dictum est de Principijs innatis, quolibet in se continente, *tivum bile*, *are*, ut bonitas *bonificativum*, *bonifiabile*, *bonificare*, & sic de alijs. *Tivum* cum *tivo* componitur, & *bile* cum *bili*: & etiam *are* cum *are*, & ista est prima compositio. Ex compositioe autem *tivorum*, consideramus primam

primam formam generalem, & per compositionem *bilium* primam materiam, & per compositionem ipsorum *are* consideramus primam connexionem primæ formæ cum materia, & ex his resultat corpus universi, accidentibus sibi junctis: & talis compositio est secunda, & generalis. Dictum est de prima substantia corporali; nunc autem de ejus accidentibus est dicendum.

2. Bonitas in compositione, per magnitudinem est magna, & magnitudo per bonitatem est bona, & sic de alijs, & sic oriuntur accidentia; quoniam bonitas non est per se magna, sed per accidens, nec magnitudo est per se bona, sed per accidens: & ista est origo prima, à quâ oritur accidens, & ex ipsis accidentibus, & substantiâ, componitur corpus habens figuram, naturã, quantitatẽ, qualitã &c; quoniam bonitas, magnitudo & cætera principia innata componuntur, ut sit substantia ex ipsis composita, cum componi non possent sine accidentibus: accidentia sunt instrumenta ut sit ipsa compositio, quæ instrumenta, non sunt per se, nec proptèr se, sed per subst-

tan-

tantiam, & proptèr substantiam, & sic dicuntur accidentia. Quoniam substantia est composita ex forma, & materia, necesse est quòd sit quanta; quoniam materia non potest esse sine quantitate, nec forma de *tivis* composita: & sic ipsa quantitas ponit, quòd ipsa substantia sit finita, & ab omni infinitate separata.

3 Quoniam magnitudo bonitatis, & bonitas magnitudinis sunt accidentia, sequitur qualitas, ratione cujus dicitur bona, magna &c, & talis qualitas est prima, & generalis, à quâ descendunt aliæ qualitates particulares.

4 In Principijs primitivis consistit primitiva *relatio*: ut in bonitate *bonificativum*, *bonificabile*, & *bonificare*, & in magnitudine similiter, & sic de alijs, & talia Correlativa constituunt relationem ipsam, quæ est de genere substantiæ; quia quodlibet principium est ex ipsis, ut bonitas de *bonificativo*, *bonificabili*, & *bonificare*, & talis *relatio* est primitiva, & generalis, à qua oritur *relatio predicamentalis*.

5 Quoniam *forma* prædictæ substantiæ

composita est ex *tivis* substantialibus, per se est activa, & agens, & *actio* ipsa est substantialis, & primitiva, à qua oritur *actio* prædicamentalis.

6 Quoniam *materia* prædictæ substantiæ composita est ex *bilibus* substantialibus, per se est passiva, & patitur, & talis *passio* est substantialis, & primitiva, à qua habent ortum *passiones* prædicamentales.

7 Quoniam bonitas magnificat sub habitu magnitudinis, & magnitudo bonificat sub habitu bonitatis, resultat habitus primitivus à quo oriuntur *habitus prædicamentales*.

8 Et quia bonitas in magnitudine est situata, & magnitudo in bonitate, & sic de alijs, oritur positio, sive *situs primitivus*, à quo descendit *situs prædicamentalis*.

9 Quoniam omnis res finita in se ipsa est nova; omne autem novum est in tempore, sequitur habitudo *temporis* ad rem novam, ex qua habitudine, oritur *quando* prædicamentale.

10 Quoniam omnis substantia composita ex materia, & forma est quanta; omne autem, quod est in loco, est per se quantum,

oritur locus primitivus , & ex habitudine  
ejus ad rem locatam, descendit *Vbi prædi-*  
*camentale.*

Dictum est de substantia , & accidenti-  
bus ejus, ex quibus primum corpus est conf-  
titutum : ipso participato , & extenso in  
quinque substantijs supradictis, scilicet *Cæ-*  
*lestiativa, Imaginativa, Sensitiva, Vegeta-*  
*tiva, & Elementativa*, quarum quælibet à  
tali substantia sic composita derivatur , &  
quælibet suo modo sic componitur , sicut  
illa ; & ex hoc cognoscit intellectus ipsum  
corpus, & ejus quantitatem, & essentiam &  
omnia, quæ corporis sunt.

*DE NATURA EX QVA SUBS-*  
*tantia corporalis naturalis est naturata.*

**N**atura ex qua substantia naturalis  
corporalis est naturata est per  
se substantia habens per se sua principia  
specificæ , & innata, & est sic deducibilis  
per Regulas suo modo, sicut est substantia  
corporalis. Et etiam habet per se sua pro-  
pria accidentia prædicamentalia, quæ ab  
ipsa

ipsa derivantur, ut *quantitas*, *qualitas* &c.

2 Ipsa Natura est corporalis per se, eò quia composita est ex sua substantia, & accidentibus suis; ipsa quidem continet in se duas compositiones, primam scilicet, & secundam. Prima compositio est de *tivo* cum *tivo*, scilicet *bonificativum* cum *magnificativo* &c. & de *bili* cum *bili*, scilicet *bonificabile* cum *magnificabili* &c. & de *are* cum *are*, scilicet *bonificare* cum *magnificare* &c. Secunda compositio est, quando ex *tivis*, componitur prima forma naturalis; & etiam ex *bilibus*, prima materia naturalis; & ex ipsis primitivis *are* componitur prima connexio naturalis formæ, & materiæ: & ex ipsis tribus resultat, una natura in communi.

3 Ipsa Natura communis extensa est, seu diffusa in quinque partes sibi connaturales, scilicet natura *Cælestialis*, natura *Imaginationis*, *Sensitiva*, *Vegetativa*, & *Elementativa*. Sicut autem natura communis per formam suam ex *tivis* compositam est activa, per materiam quidem passiva, & per suam connexionem, illa ad invicem

uniuntur; sic & ista quinque supradicta suo modo ad suam propriam formam, materiam, & connexionem se habent.

4 Diximus de Natura secundum se; & suo modo, intendimus ipsam applicare ad primam substantiam corporalem; & quomodo ipsum corpus sit ex ipsa naturatum. Ostendemus itaque, quòd prima forma naturalis & prima forma corporalis conjunguntur ad invicem, ex qua conjunctione resultat una forma communis, quæ est pars Universi: & prima materia naturalis, & prima materia corporalis conjunguntur, ex qua conjunctione resultat una materia communis, quæ est pars universi: & similiter ex *are* naturalibus, & corporalibus simul compositis resultat una communis connexio, quæ est pars Universi: & sic totum Universum sic consideratum est unum, & tertium continens in se omnia sua particularia, & quodlibet particulare sic est unum, & tertium, sicut est totum suum Universum.

Dictum est de secunda Distinctione, & ostensum est quomodo Natura est contracta

tracta ad alteram essentiam, scilicet ad corpus primum, quòd ex ipsa est naturatum, in quo ipsa est sustentata, & radicata, quòd corpus est movens efficiens ad naturandum naturabilia.

**DE TERTIA DISTINCTIONE,**  
*quæ est de Motu naturali.*

**D**istinctio hæc in septem partes est divisa: Prima pars est de *Primo motore & primo motu*. Secunda de *motu Cæli*. Tertia de *Motu Imaginativa*. Quarta de *Motu Sensitiva*. Quinta de *Motu Vegetativa*. Sexta de *Motu Elementativa*. Septima de *Motu Hominis*. Et de prima sic dicimus.

**DE PRIMO MOTORE, ET PRIMO MOTU.**

**I** Primus motor est Deus, & primus motus est motus generalis; ipse autem Motor primus posuit talem motum in primo communi corpore in potentia: & ipse Motor primus movit actualitèr illud primum mobile, ut motus, qui erat in potentia



tentia in ipso mobili reduceretur ad actum, ipsum autem corpus motum à Primo motore movit naturam ad actualiter naturandum, & sic prima forma mota fuit ad actualiter activandum, & prima materia ad passionandum, & prima connexio ad actualiter connectendum, & talis motus fuit datus in instanti, & ex tunc, usque nunc est & fuit successivè, & in ipsa successione omnia principia innata sunt in motu activè, & passivè: sicut partes, quæ moventur, quando totum earum movetur; movetur autem sic: sicut enim mola ad acuendum, quæ antequam moveatur, disposita est ad movendum: sic natura antequam moveretur erat ipsa nata ad actualiter movendum; mola autem mota fortitè, per se movetur postea usque ad aliquod tempus, eò quia est gravis per se; sed sine motore extrinseco, non moveretur, & quamquam actualiter moveatur, tamen appetit in centro quiescere, & ipsa derelicta in fine quiescit; si autem nec gravis, nec levis esset, & haberet motum in potentia naturalem, & circularem, si ab aliquo actualiter move-

veretur, postea per se ipsam moveretur, nec extrinseco indigeret motore: Sic igitur in Primo mobili suo modo naturaliter est considerandum, quia nec grave nec leve est, & suus motus circularis est naturalis: ideò à primo motore actualiter motum, postea per se erit in continuo motu, quousque placebit Primo motori terminare motum; ipse enim potest terminare, & incipere ipsum motum.

## DE NATURA MOTVS COELI.

I **C**Oelum movet se ipsum. Ratio hujus est, quia est pars substantiæ naturatæ, de qua diximus prius in secunda Distinctione: suus motus quodammodo est substantialis, quodammodo accidentalis. Substantialis est, in quantum sua bonitas substantialis mota est in sua magnitudine substantiali, & è converso, & sic de alijs Principijs innatis, ut quando componitur *tivum cum bili, &c. scilicet caelestiativum cū caelestiabili & caelestiare* & hæc ad invicem simul continuè, & successivè, in qua com-  
posi-

positione motus est *substantialis*, & circularis, eò quia illa compositio non potest esse sine motu; *accidentalis* autem motus circularis sic est, quia bonitas substantialis causat in magnitudine bonitatem accidentalem, quæ à substantiali procedit: & magnitudo etiam causat magnitudinem accidentalem in bonitate substantiali simili modo, & sic de alijs.

2 Et talis motus accidentalis est instrumentum motus substantialis, & hoc significatum est in *motu elementorum* existentium in mixto, ut ignis, qui cum calefacere movet aërem, & aër aquam cum humefacere, & terra ignem cum desiccare. Et sic dicimus, quòd cœlum habet animam motivam cœlestiativam, cum ipse se commovet, sicut vegetatum, quòd habet animam vegetativam motivam, cum qua tantum movet se ipsum ad vegetandum.

3 In Cœlo Octava Sphæra est primum mobile: ratio hujus est, quia primitivè recipit motum à substantia naturata prædicta. In cœlo, Octava Sphæra causat motum Saturni, & sic de alijs, eò quia primitiva est.

In substantia coeli sunt octo organa, ut octo Sphæræ; & quodlibet organum diversum est ab alio, ut habeat motum specificum per se: & hoc figuratum est in sensu communi, quia oculus est instrumentum potentiaë visivæ, & lingua potentiaë affativæ, & sic de alijs; & ideò sicut in sensu communi est diversus motus respectu organorum: sic in coelo respectu Sphærarum.

4 Quoniam coelum est incorruptibile, suus motus est incorruptibilis, indivisus, à casu & fortuna disparatus: eò quia in tantum est necessariò naturatus, quòd alitèr non potest se habere, in quantum est sic ordinatus; verumtamen ista inferiora aliquando recipiunt fatum, & fortunam, eò quia non habent *motum sic circulatum, ut plantæ, & animalia*. In motu coeli sunt multæ circulationes in potentia, ut diurnitas, quoniam circulatio hodierna erat heri in potentia, & est in potentia crastina circulatio; & ideò in reducendo unam circulationem de potentia ad actum, sequitur motus. Et si coelum esset æternum, essent

essent infinitæ circulationes in potentia: sed quia non est æternum, *nec esse potest*, ut probavimus in libro de *perversitate entis removenda* & pluribus alijs libris: ideò *necessario* sequitur, *quòd non sunt infinita*. Et in hoc passu cognoscit intellectus, quòd conveniens est, si non sunt infinitæ à parte ante, quòd etiam non sint infinitæ à parte post.

5 Motus, coeli cum sit superior est causa motuum inferiorum, ut motus recti, & obliqui, & motus augmenti, & alterationis, & per consequens complexionis *Sanitatis*, & *infirmittatis*, *diurnittatis*, *nocturnittatis*, *masculinitatis*, *femineittatis*, & manerierum plurium, & hujusmodi. Motus coeli causat motum violentum quodammodo, quia Octava Sphæra, quæ movetur ab *Oriente* in *Occidentem*, raptu suo movet Saturnum eodem motu, & etiam Sphæras aliorum Planetarum, qui motu proprio moventur ab Occidente ad Orientem: & etiam aliquæ portiones terræ, & aquæ quæ graves sunt, motu coeli & ejus aspectu moventur sursum: & sic de motu tonitruï,

ful-

fulguris, monstruositatis, & hujusmodi.

*DE MOTU NATURALI IMAGINATIONIS.*

1 **I**maginatio est substantia in corpore, & est ramulus primæ substantiæ corporalis, de qua locuti sumus in secunda distinctione; & sic ipsa habet corpus naturatum compositum ex suis correlativis specificis venientibus ad compositionem per motum naturalem.

2 Imaginativa habet tres potentias cum quibus est mota & movens: mota, per efficientem, scilicet per animal, quod est efficiens motus ejus ad imaginandum; & istæ potentia sunt *Estimativa*, *Appetitiva*, & *Memorativa*, cum quibus attingit objectum, & ipsa est movens subjectum in quo est, ad imaginandum, cum objecto assumpto nocibili, vel non nocibili.

3 Imaginativa habet tria correlativa, scilicet *Imaginativum*, *bile*, & *are*, ex quibus est constituta: Per *imaginativum* suus motus est activus; per *imaginabile*, est passi-

vus,

vus, & per *imaginare*, est copulativus. Imaginativa habet proprium organum, scilicet quamdam cellam inter craneum anterioris partis capitis, & posterioris existens, in qua habet species in potentia, & quando deducit illas de potentia in actum, est in motu.

4 Imaginativa est conjuncta cum sensitiva, & per consequens cum sensu communi, & cum sensibus particularibus. Sensus communis habet judicium de objectis sensitivis particularium sensuum; imaginativa autem cum objectis horum sensuum movet se ad imaginandum, sine quorum speciebus non posset habere motum, & tunc activando, & patiando facit judicium de illis objectis habitis per sensitivam, cum quibus objectis movet sensitivam ad gaudium, dolorem, &c. ut quando calefit, & movetur ad coitum, & appetit cibum, & movet aviculam ad imaginandum nidum: & hujusmodi. Diximus de motu imaginationis, & per ea, quæ dicta sunt, potest ejus motus, & natura, benè consideranti sufficienter patefieri.

## DE MOTV NATVRALI SENSITIVÆ.

1 **S**ensitiva est unus ramus primi corporis naturalis prædicti, & sicut est compositus ex duabus substantijs, oritur motus naturalis, cum quo movet se ipsum, sic est de sensitiva. Sensus communis est compositus ex communi *sensitivo*, *sensibili*, & *sentire*. Suus autem motus naturalis, & substantialis est communis, & in *sensitivo* est agens, & in *sensibili* patiens, & in *sentire* copulativus: & cum motibus accidentalibus acquisitis per sensus particulares, movet se ipsum in tantum, quòd motus sensus communis est in motu intrinseco; & sensibus particularibus cessantibus, cessat etiam motus ejus; eò quia nullum judicium facit, ut animal dormiens; verumtamen, quando non fortiter dormit, sensus communis aliquod habet judicium debile, sive factum in somniando, eò quia est circa vigilationem; & quia imaginatio appetit esse in motu! Et in isto passu cognoscit intellectus, à quo egreditur somnus.

2 Secundum quod significatum est in

secunda



secunda distinctione, Sensus agens sive efficiens movet naturam sensatam ad naturandum, ut potentiam visivam ad videndum, quæ potentia est activa, eò quia videt per videre, in quo videre consistit movere, sive motus; quando autem cessat movere, cessat videre, & cessante videre, potentia visiva non videt, eò quia suus actus est in potentia, qui erat in actu. Et sicut dictum est de potentia visiva, ita suo modo proportionalitèr dici potest de qualibet alia potentia sensitiva.

3 Item: potentia visiva est agens, & patet quando causat objectum visibile, ut rosam, vel lignum, quæ de se non visibilia, facit visibilia; hoc autem facere non potest sine motu naturali; & tale objectum est peregrinum acceptum per sensum agentem, in quantum abstrahit ab ipso similitudines, & ipsas recipiendo in suo visibili intrinseco, facit ipsum sensibile: & sic patet per quem modum ipsa potentia consistit in motu.

4 Rosa rosat aèrem, & cadaver putridū inficit aèrem; unde odoratus in recipiendo

aèrem rosatum, vel infectum consistit in motu, agendo, & patièdo: agendo, quia abstrahit istas similitudines ab aère; patièdo autem, quia recipit easdem in suo odorabili, in quo facit odorabile. in potentia esse actu odoratum.

5 Gustus quando est infectus est sensus agens perversus cum motu perverso, & hoc, quando judicat, quòd hoc, quòd est dulce, est amarum, ut mel. Ille motus est disnaturatus, & per consequens violentus: quando autem attingit res sicut sunt, est in motu naturali. Sensus quandoque est in motu *per accidens*, non per se, ut quando animal movetur de loco ad locum, ejus sensus sunt in motu; verumtamen est in motu naturali, quia cum pedibus suis naturalitèr ipse se movet: hoc non potest dici de equitante, qui non movet se cum pedibus suis, sed cum pedibus equi.

6 Animal movet se ipsum naturalitèr cum imaginatione, ut quando canis sentit odorem vestigiorum leporis, & imaginando figurat ipsam; cursus autem ejus non solum est naturalis, sed etiam motus com-

positus

positus ex motu sensus, & imaginationis. Sensus communis quandoque est in continuo motu cum uno sensu particulari, quandoque cum alio, ut quando vides & non gustas, aut quando audis, & non vides, & sic de alijs: Per tactum autem est in motu magis intensè, & continuè quàm per aliquòd cæterorum. Diximus quædam, de Sensitiva, per quæ, si à diligenti, benè conspiciantur de omnibus rationibus Sensitivæ poterit responderi.

### *DE MOTU NATURALI VEGETATIVA.*

1 **V**EGETATIVA est anima plantæ, cum qua est motiva, & mobilis ad vegetandum: ipsa est ramus primi corporis naturæ, de quo in secunda distinctione tractavimus, & est sic composita ex suis correlativis suo modo, sicut cœlestiativa, imaginativa &c. Motus vegetativæ est unus in specie, & est diffusus, & diversus secundum quod ejus innata principia diffusa sunt, & diversa.

2 Quoniam per bonitatem est bonus; eò

quia deducit bonum fructum de *potentia in actum*. Et est magnus, quia magnam arborem causat. Et est durabilis, quia durat; quoniam corruptâ unâ plantâ, durat in alia. Potens est; quia per ipsam planta potest habere actionem, & passionem. Instantus motus est; quoniam talis planta agit determinata folia, & determinatos flores, & alia in alijs: ut in rosa, viola, & hujusmodi. Et appetitus motus est, quia quod appetit in una planta, non appetit in alia. Virtuofus est; quia unam virtutem habet in una planta, & aliam in alijs; & sic de alijs principijs.

3 Motus vegetativæ habet septem organa, in quibus est fluxus, & refluxus, scilicet *radices, truncum, branca, ramos, folia, flores & fructum*, & in his septem est terminatus, & continuatus. Motus vegetativæ est gradatus secundum complexionem, ut in pipere in *quarto gradu caliditatis & in tertio siccitatis*, & in *secundo humiditatis*, & sic de alijs.

4 Vegetativa habet plures potentias, scilicet *naturativam*, & ista habet potentias subalternatas, scilicet *conversivam*, quæ

trans-

transmutat elementum in speciem plantæ scilicet in radices &c. & in stomacho animalis, cibum in carnem & sic de *nutritiva*, *augmentativa*, *alterativa*, *appetitiva*, *retentiva*, *digestiva*, *expulsiva*, quæ quidem est de genere corruptionis. Per omnia autem ista, ejus motus est *influxus* & *refluxus*. Influxus activando; refluxus passivando.

5 Vegetativa est potentia abstracta, & suum concretum est planta, sive vegetatum: & ideò corrupto concreto, ut hæc rosâ, illâ violâ adhuc remanet potentia abstracta in potentijs, & per consequens suus actus particularis reducitur ad potentiam abstractam, quæ suffocatur in suis principijs innatis.

6 Vegetativa est constituta ex *vegetativo*, *vegetabili*, & *vegetare*, & suus motus naturalis, & etiam substantialis est diffusus in ipsis; & quia ipsa est radicata, & sustentata in elementativa, acquirit motum peregrinum, & accidentalem in suis organis, cum quo motus substantialis, & naturalis est in actu: & tunc ipsa vegetativa consistit tota

in

in movere. Diximus de motu vegetativæ, per quem possumus ejus naturam cognoscere, & dubia solvere de prædictis.

## DE MOTU NATURALI ELEMENTATIVA.

1 **E**lementativa est una pars universi; ipsa autem dependet à primo corpore naturato, quia est ramus ejus; & sicut ipsum est compositum ex suis principijs innatis, sic elementativa ex suis, & sequitur, quod ejus motus decifus sit, & derivatus à motu naturali generali superiori.

2 Quoniam Elementativa est bona, suus motus est bonus; & quia est magna, suus motus est magnus; & quia est durabilis, suus motus durat; & quia potens est suus motus est potens, & sic de alijs. Quoniam Elementativa constituta est ex suis principijs innatis, & correlativis, per *elementativum* habet motum *activum*; per *elementabile* suus motus est *passivus*; & per *elementare*, suus motus est *copulativus*.

3 Quoniam Elementativa est composita

ex

ex quatuor elementis simplicibus, in quâ ipsa elementa sunt composita, motus Elementativæ est compositus ex motibus simplicibus; ipsa autem habet quatuor organa in individuis, quorum organorum suus motus est influxus, & refluxus ab extrâ, sicut in auro, rosâ, lapide, equo, & hujusmodi. Organa autem sunt quatuor massæ, quas sensus, & imaginatio objectivè attingunt, utpotè flamma ista, *terra* ista, *aqua* ista, *aër* iste motus, qui est ventus. Per flammam est combustiva, calefactiva, activa, & hujusmodi, sicut flamma, quæ comburit lignum, & flammam, quæ in ligno est in potentia, producit ad effectum.

4 Per terram est germinativa, desiccativa, evacuativa, & hujusmodi. Per aërem est humefactiva, florificativa, repletiva, & hujusmodi. Per aquam est frigefactiva, restrictiva, & hujusmodi; & ideo suus motus est diversus per ista quatuor organa, causâ quorum organorum acquirit motus peregrinos, cum quibus motibus, suus motus substantialis naturalis in actu est, elementando, & moyendo.

5 Elementa in generando habent motum naturalem, ut in generando rosam, equum, & hujusmodi. Ipsa elementativa est mota per vegetativam ad elementandum, ut in planta; & elementativa movet plantam complexionando ipsam, ut rosam ad siccitatem, & frigiditatem &c.

6 Elementativa in corruptione habet motum violentum, sicut in rosa, quæ corrumpitur, & in infirmo in quo est motus febrilis, doloris, famis, sitis, timoris, & mortis &c. Elementativa habet motum naturalem *rectum*: ut ignis ad superius, & lapis ad inferius; Motus autem violentus est, sicut motus sagittæ in aère, & lapidis sursum &c. Elementativa habet naturaliter, motum *circularem*, ut ignis in aère calefaciendo, & aër in aquâ humefaciendo, & aqua in terra frigefaciendo, & terra in igne desiccando. Habet etiam motum *circularem violentum*, ut ignis in aquâ in calefaciendo, & aër in terrâ humefaciendo, & terra in aère desiccando; & talis motus est de genere corruptionis, & privationis. Diximus de motu elementativæ, & per ea, quæ diximus,

mus,



mus, potest haberi notitia sufficienter de  
ejus naturâ, & motu.

### DE MOTU NATURALI HOMINIS.

**M**OTUS naturalis hominis intelli-  
gitur duobus modis, *spirituali-*  
*tér*, scilicet, & *corporalitér*: Spiritualitèr,  
sicut Animæ rationalis, quæ est forma  
corporis movens ipsam ad vivendum, vi-  
dendum, audiendum, & sic de alijs par-  
ticularibus sensibus; Motus autem natura-  
lis corporis est secundum quod sunt qua-  
tuor potentia, scilicet *imaginativa*, *sen-*  
*sitiva* &c. Homo movet Animam suam ad  
objectum intellectum, volitum, & reco-  
litum. Movet etiam sensus, & imagina-  
tionem cum ipsâ animâ, ut suum deside-  
ratum sit imaginatum, & sensatum; & sic  
anima movens est mota, & etiam sensus,  
& imaginatio. Quoniam anima est con-  
juncta cum corpore cum suis potentijs in-  
natis movet principia innata corporis, ut  
cum bonitate spirituali, bonitatem corpo-  
ralem: & sic de alijs: Et ex his motibus

componitur *tertius motus*, ut motus tristitiæ, aut delectationis, famefcendo, comedendo, & hujusmodi.

2 Motus Animæ est liber, & motus corporis est fervilis, ut quando voluntas movet pedes ad eundem, & manus ad laborandum, ut quiescat in objecto desiderato propter se, corpore ferviente. Homo movet se cum objecto; non, quòd objectum moveat ipsum; *quoniam objectum ipsum* dispositio est motus hominis: objectum dico bonum, aut malum, ut acquirat meritum; Nam si objectum moveret hominem, motus hominis esset violentus, & motus objecti esset naturalis, & sic talis motus esset perversus; quoniam objectum non appetit finem, neque quietem; homo autem sic, ut quiescat cum objecto.


3 Intellectus hominis cognoscit, quòd in ligno est arca in potentiâ, & cognoscit ipsam, & voluntas vult, quòd arca de potentiâ reducatur ad actum; & sic motus intellectus, voluntatis, & imaginationis objectando arcam est naturalis, non quòd arca existens in potentia, moveat istas potentias,

tias, eò quia non habet cum quo, nam est denudata ab omni accidente; motus verò ejus de potentiâ in actum est violentus, & per consequens motus manuum est dolorosus: & sic non ita est, quòd objectum moveat potentiam, sed potentia movet se cum objecto.


Multa de motu Hominis dici possent, quæ enarrare longum esset; hîc autem breviter dicta sufficiant studentî; quoniam his subtiliter pensatis, poterunt alia adipisci.

## DEO GRATIAS.

Finivit Raymundus hunc Librum Parisijs Mense Februarij, inceptum ultima die Januarij anno 1309.







# DEVS

*CUM TVA ALTISSIMA, ET PROFUNDA Realitate incipit Liber, qui est de Ente Reali, & Rationis.*

## PROLOGUS.



Uoniam intellectus valde fatigatur in discernendo veritatem, & falsitatem inter Ens Reale, & Rationis, ferè constitutus in opinionibus; idcirco facimus hunc Librum, sive hanc Artem ad declarandum quid sit Ens Reale, & quid sit Ens Rationis, quæ declaratio est subiectum hujus Libri, sive Artis; & hoc proponimus facere cum Principijs Artis Generalis, quæ sunt hæc.

Boni-

Bonitas	Magnitudo	Duratio
Potestas	Intellectus	Voluntas
Virtus	Veritas	Gloria
Differentia	Cōcordantia	Cōtrarietas
Principium	Medium	Finis
Majoritas	Æqualitas	Minoritas.

Ista Principia sunt generalissima, quia quidquid est, comprehenditur sub ipsis; & miscendo unum Principium cum alio, secundum processum Artis Generalis revelatur secretum, cum quo declaratur dubium, quod intellectus ponit in opinionibus, quibus est infirmus, & habituatus de ignorantia suâ inimicâ.

### DIVISIO LIBRI.

**I**ste Liber dividitur in sex Distinctiones. Prima est de *Quatuor Causis*. Secunda de *Quinque Predicabilibus*. Tertia de *decem Predicamentis*. Quarta de *Deo*. Quinta de *Octo Individuis*. Sexta de *Questionibus*. Quartam verò, Quintam, & Sextam Distinctionem intendimus venari, per primam, secundam, & tertiam cum sint de

3

de Generalibus Principijs; & quia *Concretum* cognoscitur per *Abstractum*, sicut *Singulare* per *Universale*, intendimus istum processum tenere in hac Arte *subjectivè*, tenendo nostram mentem *objectivè* ad intelligibile.

DISTINCTIO I.  
*DE QUATUOR CAUSIS.*

**I**sta Distinctio dividitur in Quatuor Partes, quæ sunt *Causa Efficiens, Formalis, Materialis, Finalis*. Per has quatuor Causas omnia existunt, & sunt in ipsis: & primò de *Causa Efficiente* dicemus.

PARS I.  
*DE CAUSA EFFICIENTE.*

**E**fficiens potest considerari pluribus modis, sed possunt reduci ad tres. Primus modus est *Efficiens deducens illud, quòd non est in potentia, nec in actu; ad aliquod esse*. Secundus est *Efficiens deducens aliquid de potentia ad actum*.

Tertius

Tertius est Efficiens deducens illud, quod est in actu, ad privationem. De prima Causa Efficiente dicendum est; quod non est in potentia, nec in actu, non potest naturalitèr reduci ad potentiam, neque ad actum; & ideò intellectus humanus facit talem negationem quoad ens rationis, per sensum, & imaginationem: Ratio hujus est; quia cum ipsis non habet experientiam; & propter hunc modum Causæ Efficientis, affirmarunt antiqui Philosophi; quod de nihilo, nihil fiat; verumtamen quoad conversionem Divini *intellectus, voluntatis, & Potestatis*, quæ sunt Primæ Causæ omnium rerum, & hoc realitèr, possibile est, quod Efficiens in quo istæ dignitates convertuntur, faciat essentiam, vel Esse, quod non erat in potentia, nec in actu; nam sicut intellectus intelligendo, & voluntas volendo potest objectare id, quod non est in potentia, nec in actu, sic potestas conversa cum voluntate, & cum intellectu potest illud idem deducere in actum: cum potestas possit tantum subjectivè facere, quantum intellectus potest intelligere, & voluntas velle:



velle, hoc est quantum uterque potest ob-  
jectare; aliter conversio illorum, esset in  
nobis ens rationis, & non ens reale in Deo,  
in quo non esset realiter, quòd est impossi-  
bile: Nam nec intellectus, nec voluntas  
possunt aliquid objectare de Deo, quòd sit  
majus ipso, nec proinde intelligere, &  
amare conversionem Divinarum Rationum,  
quæ non sit realiter in Deo; quia tunc  
istæ creatæ potentiæ essent altiores, majo-  
res, & nobiliores objectando, quàm Deus  
essendo subjectivè: ergo est ostensum, quòd  
sit possibile de nihilo facere, vel creare  
aliquid, quòd creare est ens reale, quia est  
actus realiter creantis: sed creatio est ens  
rationis, & est ens reale: est ens rationis,  
quia anima facit ipsum, & est ens reale,  
quia etiam Creator facit ipsam.

2 Secundus modus est quando Efficiens  
deducit aliquid de potentia in actum. v. g.  
cum rosa, quæ est in rosario deducitur  
per generationem de potentia in actum,  
scilicet per cœlum, & per rosarium: & Lo-  
gica per Logicum, Justitia per justum &c.  
sed talis Causa Efficiens est ens reale, &  
non rationis.

3 Ter-

3 Tertijs modus est, quando *Causa Efficiens* deducit in privationem id, quòd erat in actu, sicut corruptio, quæ corrumpit individuum, & destruit ejus numerum, sicut mors, quæ privat Socratem, & suum numerum, cujus privatio est ens reale, & ens rationis, non tamen est simpliciter ens reale, quia ejus anima est incorruptibilis: & sicut etiam ignis, qui comburendo baculum privat ipsum, & suum numerum, quæ privatio est ens rationis, & ens reale. Ulterius sicut Socrates justus, qui privat justitiam, quando se facit injustum, & talis privatio est ens reale, & rationis: reale, quia deviat ipsum à finè, quare est, quæ deviatio est peccatum, quòd peccatum est ens rationis, cum peccatum quoad se ipsum nihil sit. Per ea quæ diximus de *Causa Efficiente* existente sub prædictis speciebus, potest intellectus cognoscere quidquid dicatur de *Causa efficiente*.

## PARS II.

### *DE CAUSA FORMALI.*

- I. **C**ausa formalis potest considerari pluribus modis, sed maximè consideratur

sideratur tribus modis.

1 Primò Forma Prima denudata ab omni materia, & ab omni accidente causans subalternatas formas: talis forma est ens reale, & ens rationis. Est ens reale, quia est ens per se, & propter se, & hoc simpliciter, nullo extra se indigens; aliàs perderetur primitivitas, quæ primitivitas esset figmentum, & ens rationis; sed talis perditio est impossibilis: cum secundaria forma non possit esse ens reale, sine prima.

2 Secundò dicitur, quòd *bonitas* abstracta, & sic de *magnitudine* &c. sit forma innata, informans *bonum* in subjecto, in quo est, & *magnitudo*, *magnum* &c. Quæ formæ sunt entia realia extrà animam, & sunt entia rationis; quia non sunt sensibiles, nec imaginabiles, sed solum per animam intelligibiles.

3 Tertiò est alia forma consideranda, scilicet forma, quæ cum materia componit substantiam: & talis forma est ens reale, & ens rationis per animam, nec est sensibilis, nec imaginabilis, à qua descendunt plures accidentales formæ, scilicet Prædicamentales.

tales. Ad has species formæ potest reduci, quidquid est prædicabile de forma; posito, quòd intellectus sit valdè oculatus, & sciat discernere inter formam realem, & rationis.

### PARS III.

#### DE CAUSA MATERIALI.

I **I**sta Causa potest maximè considerari tribus modis. Primò, quando consideratur materia prima innata, sicut *bonitas*, quæ in se habet naturalem materiam secundum quid. Ratio hujus est; quia habet sua innata correlativa, scilicet *bonificativum*, *bonificabile*, & *bonificare*. Ipsum *bonificabile* est ens reale tanquam materia, sine qua *bonitas* non posset in se habere numerum *bonificativi* & *bonificare*: & talis materia est simplicissima; quia cum *bonificativo*, & *bonificare* constituit *bonitatem*, adeo ut ipsa correlativa sint idem per essentiam, & differant relativè. Quæ materia est ens reale, & ens rationis: est ens reale extrà animam, & ens rationis in anima.

2 Secundò, sicut materia secunda, subal-

ternata

9

ternata sub materia prima. Dicitur subalternata, cum sit composita v. g. ex *bonificabili & magnificabili &c.* Quæ materia est ens reale, & ens rationis. Ens reale; quia *bonitas, magnitudo &c.* sine ipsa non haberent naturam, & reales passionem, nec possent intrare compositionem: Ens rationis; quia anima facit de ipsa primas intentiones, sicut de albedine plura alba corpora, ipsa albedine contracta in pluribus albis corporibus.

3 Tertiò, sicut materia individuata in individuis, scilicet materia Socratis, Platonis, &c. Quæ est ens reale, & rationis reale; quia aliter nullum corpus esset individuum: rationis verò; quia anima considerat secundariam materiam, quæ non est sensibilis, nec imaginabilis, sed tantum intelligibilis.

4 Ad prædictas species materiæ potest reduci quidquid de materia potest prædicari; supposito, quòd intellectus sit benè instructus, & sciat discernere inter materiam realem, & rationis.

PARS IV.

## DE CAUSA FINALI.

1 **C**AUSA finalis maximè potest considerari tribus modis . Primò, ut primitivus finis , qui est simpliciter per se, & propter se, nihilo indigens extrà se; qui se facit primitivam, & ultimatum causam omnium finium, ut sint simpliciter propter ipsam; extrà quem sublimem finem, non est alius finis; quia esset processus in infinitum. Talis sublimis finis est singularis, & est ens reale, & etiam ens rationis: Reale; quia intellectus non potest ipsum comprehendere, cum sit inferius: Rationis; quia intellectus apprehendit ipsum, secundum quòd potest, per se; & maximè, quia ultimus finis ipsum adjuvat diffusivè.

2 Secundò, ut finis causans effectum propter supradictum ultimatum finem, sicut intellectus, qui facit scientiam, ut cum ipsa possit objectare primum finem, & hoc benè, magnè, verè &c. Talis finis est subalternatus, & ens reale, & rationis: Reale in se subjectivè: Rationis verò objectivè.

Dico

Dico subjectivè; quia est causatum à Primo fine: Dico objectivè; quia est acquisitum per animam.

3 Tertiò, ut inferior finis; sicut habitare in Domo, est finis Domus; & vivere, est finis cibi & potús; & lucrum, finis navis &c. Et talis finis est ens reale, & rationis ut per se patet. Diximus de tribus finibus, quibus possunt applicari alij fines inferiores, ut cum illis cognoscantur.

## DISTINCTIO II.

### DE QVINQUE PRÆDICABILIBVS.

**H**Æc distinctio est de Quinque Prædicabilibus. Et Primò dicemus de Genere; de quo Genere pluribus modis potest dici.

### DE GENERE.

1 **G**enus dicitur varijs modis. Primò Ens est Generalissimum genus; quia consideratur suprà *substantiam*, & *accidens*; cum substantia sit ens, & accidens etiam sit ens: Et tale ens, non est ens reale, sed rationis; cum non sit ens, quòd non

fit

fit substantia, vel accidens.

2 Secundò, est genus, quòd dicitur substantia, videlicet *corporea*, & *incorporea* substantia: Talis substantia non est ens reale, sed rationis, ut dictum est primò; nam si esset ens reale, esset plus, quam corporea, vel incorporea substantia, quòd est impossibile; cum omnis substantia, sit corporea, vel incorporea.

3 Tertio, corpus est genus subalternatum, quòd in quantum est subalternatum, est ens rationis; sed quoad se ipsum, est ens reale; quia est constitutum de corporea bonitate, magnitudine, & cæteris corporeis principijs, quæ composita, & conjuncta componunt corporeitatem totius universi; corpus autem est illius concretum in quo sustentatur corporeitas: Si autem corpus non esset ens reale, bonitas, magnitudo, & cætera corporalia non essent innata, naturalia nec generalia principia; & quodlibet individuum corpus haberet suam singularem bonitatem, magnitudinem &c. & essent plures bonitates, non existentes sub una generali bonitate, & sic de magnitudine &c. &

fic



fic deperderentur species; & per consequens genera, & prima forma, & prima materia, ut in prima distinctione dictum est; quòd est impossibile. Igitur est demonstratum quòd corpus sit genus, & sit ens reale.

4 Quartò, animal est genus subalternatum, & est ens rationis per animam, quæ ipsum constituit per secundas intentiones: Ipsum autem animal est ens reale, ut patet per hoc; quia sensitiva potentia sensat ipsum, quando corpus in ipso contrahitur: sicut albedo, quæ albificat corpus, quando in ipso contrahitur; veruntamen albedo est accidens; & sensitiva potentia est substantia sub qua, & de quà corpus est sensatum, & animatum, videlicet corpus contractum in sensitiva, & sensitiva sustentata in corpore; non autem dico, quòd sit corpus continuatum singulare, nec unum animal individuatum, sed corpus sensatum in pluribus individuis individuatum, & animatum.

5 Sunt etiam plura generalia entia, scilicet *quantitas, qualitas*, & alia prædicamenta;

menta, sed de talibus non intendimus hic tractare; nam de illis dicemus in Tertia Distinctione.

Vidimus genus per quatuor modos, & declaravimus per quem modum dicatur ens reale, & ens rationis: Et per ea, quæ de ipso dicta sunt, potest Artista hujus Artis habere notitiam de omni eo, quòd potest prædicari de genere.

### DE SPECIE.

I **P**Rima species est vera, & necessaria generalis omnibus speciebus, constituta de contractione innatorum principiorum: sicut generalis bonitas, quando dicitur, *bonitas est magna, bonitas est durabilis, est potens &c.* Et talis bonitas, de qua fit talis prædicatio, non est omninò generalis; quia est contracta; nec omninò individua, quia est indeterminata; & ideò constituitur species ex ipsa; Et quòd dictum est de ea, potest etiam dici de magnitudine &c. ut cum dicitur, *magnitudo est bona: magnitudo est durabilis &c.* Tales species sic consti-

tutæ,

tutæ, sunt entia realia, & rationis: Realia; quia si non essent realia, innata principia non essent contracta, nec mixta; & sic perderetur participatio, & compositio eorum in naturalibus; & per consequens motus, & etiam medium existens inter genus, & individuum, quod est impossibile: Igitur est probatum, quod datur species, quæ sit ens reale, & per consequens ens rationis per animam: Quæ species intentionalis, vel rationis est similitudo figuræ speciei realis.

2 Sunt autem aliæ species, quæ sunt entia realia, & rationis, ut in Cap. de Genere per exempla est manifestatum, nimirum substantia, & accidens sub generalissimo genere. Item corporea, & incorporea substantia, quæ species sunt entia rationis, & non entia realia; Corpus autem est species realis, & rationis, & sic de animali, ut supra significatum est; aliter substantia non esset genus, nisi corpus esset realis substantia, nec corpus esset genus nisi animal esset species, cum genus, & species relativè se habeant.

3 Species prædicantur alio modo, nempe

*homo,*

*homo, asinus, & hujusmodi; & tales species sunt entia realia, & rationis; aliter Socrates, & Plato non essent ejusdem speciei, nèc iste Brunellus, & ille; nec Socrates generaret Platonem, neque unus Brunellus, vel asinus generaret alium, quod est impossibile: Igitur probatum est, quod species sint entia realia, & entia rationis: Realia, subjectivè; Rationis, objectivè per intellectum. Per ea, quæ declaravimus de speciebus quoad ens reale, & rationis, potest homo facere scientiam, & evitare opiniones.*

### *DE DIFFERENTIA.*

1 **D**ifferentia est Principium ortum ab innatis principijs, scilicet à bonitate, magnitudine &c; quia bonitas non est magnitudo, nec è contrà: Tamen differentia est ens reale, & ens rationis; nam si non esset ens reale, bonitas esset idem realitèr cum magnitudine, vel esset ipsa magnitudo, & è conversò in naturalibus, & creatis rebus, sicut in Deo; unde sequeretur,

tur, quòd natura esset privata, & vacua generibus, speciebus, & individuis, quòd est impossibile: Hinc patet, quòd differentia sit ens reale, & per consequens ens rationis, per animam.

2 Ulterius patet, quòd differentia sit ens reale; quia causat realitèr, quòd unum genus non fit aliud, nec quòd genus fit species, nec una species alia, nec unum individuum aliud, nec substantia fit accidens &c. de quo habemus experientiam. De hac differentia facit intellectus ens rationis per similitudinem, quam de illa colligit: Igitur patet, quòd differentia sit ens reale, & rationis, per quam probationem potest intellectus evitare opiniones, & verè, & necessariò concludere, removendo se à confusione ignorantia.

## DE PROPRIETATE.

1 **P**roprium, vel proprietas est ens reale, & rationis, & oritur ex innatis naturalibus principijs, ut patet per hoc; quia bonitas appropriat magnitudini, quòd  
fit

fit bona, & magnitudo bonitati, quòd fit magna, & sic de alijs; quæ appropriatio est realis subjectivè, & est intentionalis ob-  
 jectivè. Ulteriùs in quolibet innato prin-  
 cipio consistit proprietas relativè, sicut in  
 bonitate, *bonificativitas*, cui propriè con-  
 venit actio, & *bonificabilitas* cui propriè  
 convenit passio, & *bonificare*, cui propriè  
 convenit actus procedens ab utroque: Et  
 tales proprietates sunt entia realia; aliter  
 bonitas &c. non haberet intrinseca conna-  
 turalia correlativa, & sic privaretur pro-  
 priâ naturâ, & plenitudine; nec esset per se  
 propriè diffusiva, & mendicaret naturam  
 ab intrinseco: unde sequeretur, quòd esset  
 innatum principium, & non innatum, quòd  
 est contradictio: Igitur in bonitate est pro-  
 pria realitas, & per consequens ens rationis.

2 Prætereà sunt aliæ proprietates, sicut  
 visibilitas, quæ est propria passio hominis,  
 & caliditas, quæ est propria passio ignis  
 &c. quæ proprietates sunt entia realia, &  
 per consequens rationalia, vel intentio-  
 nalia. Igitur est ostensum, quod in proprie-  
 tatem cadant entia realia, & entia ratio-  
 nalia

nalia diversimodè, & per talem doctrinam est intellectus dispositus in disputatione, & in venando secreta entium.

## DE ACCIDENTE.

1. **A**ccidens est ens reale, quod patet per innata principia, & per differentiam; quia magnitudo bonitatis est ejus accidentalis habitus, & sic de alijs: hoc autem esset impossibile, nisi accidens esset ens reale; & quia est ens reale, per consequens est ens rationis, ut intellectus possit de ipso facere scientiam.

2. Item, si accidens non esset ens reale, substantia non posset esse quanta, nec qualis; nec motus esset successivus, & omnia essent in instanti, quod est impossibile: ergo accidens est ens reale, & per consequens ens rationis: Hoc potest dici de acquisito intelligere, & sic de videre, currere, calefacere &c. quæ sunt entia realia, sine quibus substantia, & potentia non possent habere secundarios actus deductos de potentia in actum, quòd est impossibile. Dixi-

mus

mus de Accidente; & per ea, quæ de ipso diximus, declarando inter ens reale, & rationis, potest intellectus habere notitiam de conclusione constituta, quoad ens reale, & rationis.

### DISTINCTIO III.

#### DE DECEM PRÆDICAMENTIS.

**I**sta distinctio est de Prædicamentis: Et primò dicemus de substantia.

#### DE SUBSTANTIA.

**1** **O**Mne ens vel est naturale, vel artificiale: In quantum est naturale, est substantiale analogicè. Substantia mundi est sicut corpus, vel anima, ut suprà dictum est: & sic de individuata substantia. Substantia est ens reale, & ens rationis; quia per animam objectivè constituitur.

**2** Ulteriùs, substantia est composita ex innatis principijs, quæ sunt corporalia entia, scilicet corporalis *bonitas, magnitudo, duratio, potestas, intellectus, voluntas, virtus, veritas, gloria, differentia* &c: ex omnibus  
his



his principijs est corporea substantia constituta realitèr, & naturalitèr, licet anima ipsam artificialitèr componat: Et in compositione est quodlibet innatum principium mixtum cum alio; Unde sequitur compositio formæ ex natura activitatis, bonitatis, magnitudinis &c; & compositio materiæ ex natura passivitatis, bonitatis, magnitudinis &c; mediante naturali intrinseca conjunctione per intrinsecum bonificare, magnificare &c: Et talis substantia composita ex forma & materia, est realis & naturalis, & per animam artificialitèr objectata; cum quo artificio intellectus attingit realem substantiam, & ejus essentiam, & sic de illius partibus.

## *DE QUANTITATE.*

1 **Q**uantitas realis oritur ex innatis principijs, & per consequens à substantia composita ex ipsis, & hoc sic: Substantialis bonitas est magna per substantialem magnitudinem, & substantialis magnitudo est bona per substantia-

tialem bonitatem, & sic de alijs: unde oritur quantitas à quâ substantia est quanta; Et talis quantitas est ens reale in subjecto in quo est sustentata, sicut albedo est ens reale in albo in quo est contracta; Quantitas autem est *continua* in quantum est una pars mundi, & est *discreta* in pluribus substantijs, & individujs; & quantitas sic objectata per animam est ens rationis.

### DE QUALITATE.

**Q**ualitas oritur per accidens ex innatis principijs, sicut bonitas, quæ est qualis magna per magnitudinem, & magnitudo qualis bona per bonitatem, & sic de alijs; & ideò substantia est qualis bona, qualis magna &c. Quæ qualitas est pars mundi, & est contracta in pluribus individujs, & sic est ens reale subjectivè, & ens rationis objectivè.

### DE RELATIONE.

**I** Relatio Prædicamentalis oritur ex innatis principijs in subjecto in quo

quo est contracta, & sustentata; Nam bonitas habet in se sua intrinseca correlativa, scilicet *bonificativum*, *bonificabile*, & *bonificare*, & sic de *magnitudine* &c. Quæ relationes constituunt unam relationem, quæ est una pars mundi diffusa in pluribus individuis diversis, ex quibus oritur relatio de qua prædicantur pluralitas, æqualitas &c. Et talis relatio est ens reale subjectivè, & est ens rationis objectivè.

### DE ACTIONE.

**A**ctio prædicamentalis sumitur ex innatis principijs, ex quibus oritur, scilicet bonitas habet actionem in magnitudine, in quantum de se ipsa bonificat magnitudinem; Et è contrà magnitudo agit in bonitatem &c. Et talis actio circularitè producta sustentatur in substantia mundi, & est realiter individuata in pluribus individuis: Unde sequitur, quod actio fit ens reale, & per animam, quæ de ipsa facit scientiam, est ens rationis.

## DE PASSIONE.

**P**assio prædicamentalis oritur ex innatis principijs sicut bonitas, quæ est magna per magnitudinem, & sic patitur sub illa; & è contrà magnitudo est bona per bonitatem, & sic de alijs circularitèr: Unde in substantia mundi multiplicatur una communis passio diffusa, & contracta in pluribus substantijs, vel individujs; quæ passio est ens reale subjectivè, & ens rationis objectivè.

## DE HABITU.

**H**abitus prædicamentalis oritur ex innatis principijs, & est una pars mundi; ideò quia *bonitas per magnitudinem est magna*; & sic est *habituata* de magnitudine, sub quo habitu habet magnum bonificare, & è conversò circularitèr per omnia principia; Talis *habitus* est diffusus in pluribus substantijs particularibus, & est realis; sed est ens rationis acquisitus per animam, ut anima possit habere notitiam

de

de tali habitu. *Habitus* potest alio modo dici, sicut *habitus* justitiæ, prudentiæ &c. quæ sunt entia realia in anima, & entia rationis per accidens.

## DE SITV.

I **S**itus prædicamentalis oritur ex innatis principijs, sicut bonitas, quæ cum sit magna per magnitudinem, est *situata in magnitudine*, & è conversò, & sic de alijs circulariter: Unde multiplicatur unus generalis *Situs*, qui est pars mundi; ex quo derivantur omnes particulares *Situs* in subjectis, in quibus sunt sustentati, quolibet subjecto habente *situm* suum particularem. Talis *situs* est ens reale, & in quantum anima de eo facit scientiam, est ens rationis.

## DE TEMPORE.

I **Q**uando prædicamentale voco *tempus*: & hoc ideò, quia *quando* significat compositum, ut cum dicitur

citur, *quando* fuistis? aut *quando* hoc fecistis? Et ideò *tempus* est altius vocabulum, quàm ipsum *quando*. Tempus autem oritur ex innatis principijs; quia bonitas magna per magnitudinem, & non per se, est in tempore, & è conversò circularitèr, & successivè; & talis *circulatio* est *essentia temporis* deducta ad substantiam mundi, in quâ, substantia est per motum successivè sustentata, & in pluribus particularibus diffusa; & talis *essentia temporis* est ens reale natum per ens rationis acquisitum per animam.

## DE LOCO.

I **P**ER ubi prædicamentale intelligitur *locus*, qui derivatur à principijs veris, necessarijs, & primitivis, ut bonitas, quæ per magnitudinem magna, est *collocata* in magnitudine, & è contrà circularitèr per alia principia; unde oritur *generalis locus*, qui est una pars mundi, ex quo derivantur omnes *particulares loci*; Et talis *locus* est ens reale; aliter una pars non posset collocari in alia, & perderetur compositio,

positio, & successio motus, & continua  
 quantitas, &c. quod est impossibile, & hoc  
 secundum naturalem cursum: Et *locus* est  
 ens rationis, cum objectivè per intellectum  
 attingatur, & acquiratur.

Per hanc Tertiam Distinctionem est of-  
 tensus modus cognoscendi differentiam in-  
 ter ens reale, & ens rationis, ut intellec-  
 tus possit evitare sophermata, & opiniones.

#### DISTINCTIO IV.

#### DE DEO DEDUCTO PER PRI- *mam Distinctionem.*

1 **P**roponimus venari intrinsecam, &  
 extrinsecam essentiam, & opera-  
 tionem Dei per tres præcedentes Distinc-  
 tiones. Et hanc methodum servabimus in  
 examinandis alijs sequentibus subjectis.

2 Primò; Efficiens dicitur tribus modis,  
 ut in *prima Distinctione* dictum est. *Deus*  
*autem est bonitas optima*, & sua bonitas  
 est causa omnium bonitatum: *Et est mag-*  
*nitudo maxima*, & sua magnitudo est cau-  
 sa omnium magnitudinum &c. Unde se-  
 quitur,

quitur, quod Deus sit Causa efficiens comprehendens omnes modos causæ efficientis; aliter suæ definitiones paterentur sub aliquo ente sibi opposito, & in altiori vigore, quàm ipse, quod est impossibile: Ergo Deus est Causa efficiens simpliciter, & absolutè.

3 Præterea: Deus est ens magis agens *propter altiorem, & majorem finem* bonitatis, magnitudinis &c. Unde sequitur, quod sit Causa efficiens omnibus modis; Aliter esset otiosus contrà bonitatem magnitudinem &c. Vel esset coactus per aliquod extraneum ens sibi oppositum, & contrà majorem agentiam, & existentiam suæ bonitatis, magnitudinis &c. quod est impossibile.

4 Iterum: Deus est ens per se, & propter se simpliciter existens, & agens: Unde sequitur, quod sit simpliciter per se efficiens Causa omnium entium; aliàs non esset generalis Causa efficiens prima, quod est impossibile.

5 Per multas alias rationes possemus probare, quod Deus sit Causa Generalis efficiens;



ciens; & quod omnia per ipsum, & propter ipsum sint facta: Et ipse sic efficiens est ens reale subjectivè, & ens rationis objectivè. Secundò Deus est formalissima forma; quia est *bonitas optima, magnitudo maxima* &c. Quæ bonitas, magnitudo &c. sunt entia realia, vel formæ reales: Nam si essent figmenta solùm existentia per animam, Deus non haberet cum quo esset *optimus, maximus* &c; quia ejus formæ, vel rationes essent aliquo modo impeditæ, quod est impossibile: Ergo Deus est realis forma, una per essentiam; plures per rationem. Dico plures; quia quælibet ratio habet suum realem, & numeralem actum, scilicet Divina bonitas, *bonificare*; magnitudo *magnificare* &c. Unde sequitur, quod forma Dei sit formalissima Causa omnium formarum, quod intellectus rationalitèr non potest negare.

6 Tertiò: In Deo non est *materia*, ut patet per hoc; quia in essentia, in qua bonitas optima, magnitudo maxima &c. convertuntur, non potest esse materia, nec accidens; quia accidens non potest esse sine materia:

materia: Ergo Deus non est materia; sed est causa omnium materialium, cum sit formalissima forma, extra quam nulla materia posset habere passionem; Et talis Causa est ens reale per se, & ens rationis per animam.

7. Quartò: Deus est *Causa finalis* omnium finium, ut extrinseci fines in supremo fine, sint exaltati, & quietati, & hoc realitèr; Nam aliàs pateretur ultimatus finis, quod est impossibile: Ergo Deus est finalis Causa realitèr, & simpliciter; quod intellectus non potest negare. Mediante gratia Dei habemus realem notitiam de Deo per *quatuor Causas*.

**DE DEO DEDUCTO PER SE-**  
*cundam Distinctionem.*

1. Primò: Deus non est *genus*; quia non habet species; cum species sit inferius, & genus superius; & in Deo non est superius, nec inferius, cum sit infinitus, & æternus, in quo suæ rationes convertuntur, & una prædicatur de alia identice. Quæ rationes sunt generales duobus modis,

sicut

sicut divina bonitas, quæ est generalis ideò, quia est absoluta, & optima, & sic de magnitudine &c. & hoc realitèr; Quia si esset figmentum, humanus intellectus, exaltaret se magis objectivè rationabilitèr, quàm esset exaltata divina bonitas, magnitudo &c. realitèr, quod est impossibile: cum ens rationis sit inferius, & ens reale superius. In Deo divina bonitas, magnitudo &c. sunt generales causæ per generalem *bonificationem*, *magnificationem* &c. Et hoc realitèr per se, & rationabilièr per humanum intellectum.

2. Deus est infiniti vigoris; quia sua potestas est generalis: Et si non: potestas infinita, esset finita in possificatione; & sic esset species, & genus: Species; quia finita quoad se ipsam: Genus; quia æterna per æternitatem, cum qua convertitur; Sed hoc implicat contradictionem: Unde est manifestum, quòd Deus sit infiniti vigoris: & hoc realitèr, non solum rationabilitèr.

3.º Secundò: In Divina bonitate sic est Divina Natura quoad *bonificationem*, sicut in Divino intellectu quoad *intellectionem*, & hoc

& hoc realitèr; aliàs esset Divina potestas genus, & Divina bonitas, & Divinus intellectus essent species, quod est impossibile: Quod ideò dico; quia Divina bonitas habet sua Correlativa intrinseca, sicut Divinus intellectus habet sua, & sic de magnitudine, æternitate &c. Et ista correlativa non possunt esse realia, sine reali productione in Divinis.

4 Tertiò: In Divina bonitate est realis distinctio Personarum, ut bonitas optimè sit objectata per Divinum intellectum, & per Divinam voluntatem. Quia Divinus intellectus, & Divina voluntas plus objectant bonum objectum habens in se realem distinctionem inter *bonificantem*, *bonificabilem*, & *bonificare*, quæ tria sint idem per essentiam, substantiam, & naturam verè, & realitèr; quàm si objectum esset objectatum, quoad existentiam tantum, & non quoad intrinsecam agentiam; quod intellectus non potest negare, per ens rationis: Unde sequitur, quod illa distinctio sit ens reale.

5 Ulteriùs Deus cum *differentia* est differens,

ferens, distinguens unum ens ab alio, & *differentia* est sic per divinam Trinitatem, causa, quod Deus causet pluralitates in mundo: Sicut Divina Unitas est causa, quod Unus Deus causet singulares numeros individuorum: Ratio est; quia in Deo *Unitas*, & *Trinitas* sunt idem per Essentiam, Substantiam, & Naturam; & sunt etiam eadem Causa.

6 Quartò: Quod non est *proprium*, nec commune, nihil est: Et ideò, cum Deus sit absolutum ens, in ipso bonitas est absoluta *proprietas*, quia est optima; cum in nullo alio Ente sit optima bonitas, nisi in solo Deo; Et sic de Divina magnitudine &c.

7 In divina bonitate sunt *propria* correlativa; etiam in divina magnitudine &c. ex quibus est propria Paternitas, propria Filiatio, & propria passiva Spiratio: Istæ tres sunt Divinæ Personæ, quæ propriè, & singularitèr consistunt in superlativo gradu bonitatis, magnitudinis &c. existente Bonificante, Magnificante &c, una Paternitas; & Bonificabile, cum Magnificabili &c,

una

una Filiatio; & Bonificare; cum Magnificare &c, una propria passiva Spiratio, & hoc realiter: Quam realitatem, ens rationis non potest rationabiliter negare.

8 Deus cum suis singularibus *proprietatibus* causat omnes extrinsecas proprietates: Et sicut proprium est humano intellectui, quòd habeat sua propria correlativa; sic & humanæ voluntati, quòd habeat sua &c; Quòd etiam sequitur in sensitiva potentia, videlicet *sensitivum, sensibile, & sentire*; Etiam in igne, cujus caliditas est sua propria qualitas.

9 Quintò: In Deo non est *accidens*; ut dictum est; quia nullum accidens potest intrare in essentiam in qua optimitas, & maximitas, æternitas &c. convertuntur: Sicut in optimitatem, in quam non potest intrare *malitia*; nec in maximitatem, *parvitas*; nec in æternitatem, *novitas* &c.

Diximus de Quinque Prædicabilibus; cum quibus de Deo fecimus scientiam, & declarationem.

35

**DE DEO DEDUCTO PER TER-**  
*tiam Distinctionem.*

1 **P**rimò : Deus cognoscit, quòd suæ rationes sunt entia realia ; non quòd colligat ipsas objectivè ex rationibus Universi : Ergo cognoscit , quòd suæ rationes sunt *Substantiales* ; aliàs esset suum cognoscere figmentum, & per accidens ; & solùm ens rationis, quòd est impossibile. Unde sequitur, quòd Deus cognoscat, quòd ipse sit *Substantialissima Substantia* remota ab omni prædicamentali substantia : Et sicut suum cognoscere, est ens reale ; ita suum velle, magnificare, æternificare &c. sunt entia realia ; sed quoad nos sunt rationabilia.

2 Secundò : Deus non est *quantitas* , nec quantus , cum cognoscat se , & diligat se esse Ens Optimum , Maximum &c : Ergo est realiter denudatus ab omni *quantitate* ; Sed si per aliquod ens impediretur , non esset remotus à *quantitate* , sicut dixerunt falsi Philosophi, quòd Deus non possit esse sine Angelo ; nec sine Cœlo , & quòd sine ipsis non possit agere &c ; Hoc autem fal-

so dixerunt: Ergo Deus est realiter sine *quantitate*, quòd ratio non potest negare.

3 Tertiò: Deus sic cognoscit, & diligit se *qualem*, quoad suam bonitatem, magnitudinem &c. sicut quoad suum intellectum, & suam voluntatem; Unde sequitur, quòd realitèr objectet se cum sua *bonitate*, *bonificando*, cum sua *magnitudine*, *magnificando* &c. Deus autem per se ipsum, sic objectatus transcendit omnes prædicamentales *qualitates*; Et est qualis realis, & substantialis per omnes suas rationes; quòd humanus, intellectus non potest negare rationabilitèr.

4 Quartò: Divina *Relatio* est realis denudata ab omni prædicamentali *relatione*; quia est permanens in superlativo gradu bonitatis, magnitudinis &c: Unde sequitur realis distinctio inter *Bonificantem*, *Bonificatum*, & *Bonificare*: & sic de alijs; Aliàs *relatio* esset figmentum, & ens rationis tantum, quòd est impossibile.

5 Quintò: In naturalibus non potest esse *actio sine passione*, quæ actio est prædicamentalis; sed divina actio ipsi coessentialis

lis



lis potest realitèr existere sine prædicamentali passione; quia est denudata ab omni materia; & quia est permanens in superlativo gradu suæ bonitatis, magnitudinis &c, nihilo extrà se indigens: Et tale existere est ens reale; sed quoad nos, est intentionale.

6 Sextò: *Passio* prædicamentalis non transit in Divinam Essentiam, cum sit accidens; sed realitèr transit in creatam substantiam sub Divina actione immediatè passam; cum actio sit suprema; passio verò infima, quòd intellectus non potest rationabilitèr negare: Igitur malè dicunt, qui volunt quòd Deus non possit agere immediatè; cum non sit proportionatum medium inter supremum, & infimum.

7 Septimò: *Habitus* est additio substantiæ per accidens, sub quo habituatus agit; qui per se non potest agere sine *habitu*, scilicet Logicus sine Logica, Metaphysicus sine Metaphysica, Mechanicus sine Mechanica, & sic de alijs; Et quia substantia Dei nullam additionem potest habere; cum sua bonitas, magnitudo &c, sint in superlativo gradu permanentes; necessario

cessario sequitur, quod Deus non habeat aliquem *habitum*, cum sit purus actus realiter; quod ens rationis non potest rati-  
onabiliter negare.

8 Octavo: In naturalibus est unum, quod-  
que principium *situm* in alio, ut patet in  
*tertia Distinctione* in Cap. de Situ: sed in  
divina Natura non est sic; quia Divina  
bonitas non est situata in divina magni-  
tudine &c. Cum ipsa sit magna per se, vel  
cum sit ipsamet magnitudo, & è contrà  
magnitudo sit ipsamet bonitas: Et hoc est  
verum non solum quoad ens rationis; sed  
quoad ens reale: Unde sequitur, quod es-  
sentialiter Dei, & suæ Rationes sunt remotæ  
ab omni motu: Igitur malè dicunt, qui  
asserunt, quod Deus non sit in Cœlo es-  
sentialiter, nec extrà Cœlum; quia esset  
situatum in loco, & extrà locum.

9 Nonò: Deus non est in tempore, cum  
sit æternitas, & immobile ens; Veruntamen  
est in tempore tanquam efficiens, vel Cau-  
sa. Et ideo malè dicunt, qui dicunt, quod  
Deus non sit Causa efficiens temporis, nec  
motus; quia si hoc esset, haberet nullam

participationem cum tempore; nec esset ejus causa: sicut in sensibilibus, visiva potentia est simpliciter separata ab auditiva potentia, & hoc objectivè: Igitur est ostensum, quod Deus aliquo modo realiter sit in tempore, & tempus in ipso, tanquam effectus in sua Causa.

10 Decimò: In Deo suæ rationes convertuntur; ita quod una simpliciter possit prædicari de alia; Unde sequitur, quod Deus realiter non sit collocatus in loco; quia suæ Dignitates non implicarent immensam, & infinitam essentiam; aliàs conversio esset figmentum, & ens rationis tantum: Unde sequitur, quod Deus sit ubique essentialiter; Nam aliter esset una essentia divisa per ea, quæ sunt in loco, quòd est impossibile. Ens rationis autem non potest hoc apprehendere quoad sensum, & imaginationem; cum Divina Essentia non sit sensibilis, nec imaginabilis; Veruntamen apprehendit eam, cum intellectu, qui potest objectare divinam Essentiam; sicut humana voluntas ipsam potest diligere.

Dictum est de Deo discurrendo per de-

O

cem

cem Prædicamenta ; Et data est doctrina ad cognoscendum Deum cum ipsis Prædicamentis : Et per talem doctrinam ita profundam, est intellectus valde altus, & profundus.

## DISTINCTIO V.

### DE OCTO INDIVIDVIS.

**I**ndividua sunt octo, scilicet Angelus, Cœlum, Elementa, Homo, Brutum, Vegetativa, Metalla, Artificium. In hac Distinctione venabimur Individua per tres primas Distinctiones hujus Libri, ut cognoscamus quomodo individuentur; & quomodo sint entia realia, & entia rationis: Et primò.

### DE ANGELO DEDUCTO PER primam Distinctionem.

**P**rimò : Angelus, aut est factus, aut non factus; Ipse autem est de suis innatis principijs, scilicet de sua coessentiali *bonitate, magnitudine, duratione &c.* Si est factus, Deus est ejus Causa efficiens; quia

quia ipfemet non posset facere se ipsum; Nam si hoc posset, fuisset antequam fuisset, quòd est contradictio. Si non est factus, sunt sua principia æterna; quæ principia non sunt de genere factionis; & factio est in potentia ab æterno, ut sit exaltata ratione sui finis, qui est Deus; in quo fine est Angelus magis exaltatus, si est factus, quàm si non est factus; Et talem evacuationem finis, non possunt Divina *bonitas, magnitudo, duratio &c.* sustinere: Ergo Angelus est factus, & Deus est efficiens; & talis factio est ens reale, & ens rationis.

2. Secundo: Angelus est forma in se, non in corpore; quia est individuatus de sua formali *bonitate*, & de sua formali *magnitudine &c.* contrahendo suam *bonitatem* ad suam *magnitudinem*, & è conversò; ita ut ipsa forma sit individuata: Hoc idem posset dici de sua Spirituali materia, quæ sic est de *bilibus* sicut forma de *tivis*; Et Angelus est factus de specifica forma, & materia, habente in individuo suum proprium numerum, scilicet Angelus Michael, Angelus Gabriel &c. Quæ individuatio est realis:

realis; & est significatum per hoc, quòd est ens rationis.

3 Tertiò: Nullum ens, quòd per se, & simpliciter non est existens, nec agens, est per se suusmet finis; sed Angelus est tale ens: Ergo Angelus non est suusmet finis: Ergo solus Deus est suus proprius finis; quia est ens per se simpliciter existens, & propter se agens; Quòd dico, rationabiliter dico. Unde sequitur, quòd Deus realiter sit supremus finis; Angelus verò sit effectus Dei.

Deductus est Angelus per quatuor causas; ex quo sequitur, quòd per talem investigationem possit haberi notitia Angeli.

### DE ANGELO DEDUCTO PER SECUNDAM DISTINCTIONEM.

1 PRIMò: Angelus non est *genus*; quia ipsemet est sua species, propter hoc, quia sua consubstantialis *bonitas* non est derivata à generali *bonitate* materialiter; & sic de sua *magnitudine* &c; sed solum sicut illius *bonitas* est specifica, ita est

contracta ad specificam *magnitudinem* &c.  
 & è conversò: Unde sequitur, quòd sit sua-  
 met species permanens, & per se ipsum rea-  
 litèr existens individuum, cui ens rationis  
 non potest rationabiliter contradicere.

2. Secundò: In Angelo est *differentia* per-  
 manens; Ratio hujus est; quia sua innata  
 principia differunt; & sine reali differentia  
 non possunt differe: Igitur ipsa *differentia*  
 est diffusa per omnia principia; & *Concor-*  
*dantia* specifica, quæ concordat unum  
 principium cum alio; Sed ad constituen-  
 dum unum numerum, est Angelus indivi-  
 duatus, & hoc realitèr; de qua realitate,  
 datur intellectui notitia per ens rationis.

3. Tertiò: In Angelo sunt *proprietates*,  
 sicut in Gabriele, in quo sua *bonitas* habet  
 sua correlativa; & sic de *magnitudine* &c.  
 Ex quo sequitur; quòd *bonificare* realitèr sit  
 suus proprius actus per bonitatem; & sic de  
*bonificante*, per quòd habet suam propriam  
 actionem, & per *bonificabile*, quòd est sua  
 propria passio; Cum istis proprietatibus est  
 bonitas individuata, & sic de *magnitudine*  
 &c: Et individuatis ejus principijs per pro-

prietates; Et ipso individuato per sua principia, est Angelus individuatus per suam proprietatem, habens proprium numerum diversum ab alio numero; & hoc realitèr, quòd intellectus rationabilitèr non potest negare.

4 Quartò: In Angelo sunt realia *accidentia* orta de suis consubstantialibus principijs; Quod patet per id; quia sua bonitas non est sua magnitudo, nec è conversò: . Item; quia magnitudo est bona per bonitatem, & bonitas est magna per magnitudinem: Unde necessariò sequitur, quòd in ipso sint realia accidentia subjectivè, cum quibus intellectus objectivè causat ens rationis; & cum ipso facit scientias ad cognoscendum entia realia.

Venati sumus Angelum per quinque Prædicabilia; Cum quibus est data doctrina, per quem modum Angelus sit individuatus.

### DE ANGELO DEDUCTO PER *Tertiam Distinctionem.*

I Primò: Angelica *substantia* est Spiritus creatus, non conjunctus; &  
est



est ens reale; Aliter non posset definiri; quia esset nimis similis substantiæ Dei; quæ non est creata, nec conjuncta; & est spiritualis; Et talis Angelica substantia est individuata dupliciter, videlicet *substantialiter*, & *accidentaliter*. Substantialiter, ut dictum est in Cap. de *Causis applicatis Angelo*. Accidentaliter verò; quia ejus innata accidentia ab innatis principijs sunt permanentia in substantia: Et ex his duobus modis est Angelus individuatus, & constitutus habens suum individuatum numerum.

2. Secundò: Angelus habet *quantitatem* extrà longitudinem, latitudinem, & profunditatem constitutam, per quam est quantus; Ipsa quantitas est orta de substantiali limitatione bonitatis, magnitudinis &c; Per quam quantitatem Angelica substantia est extensa; Et talis quantitas est realis; non figmentum, & est ens rationis acquisitum.

3. Tertiò: In Angelo sunt plures *qualitates*, scilicet plura principia; quia magnitudo bonitatis est una qualitas, & bonitas magnitudinis est alia qualitas, & sunt invicem una individuata qualitas separata à

qua-

qualitate corporis; Et ipsa qualitas est ens reale subjectivè, & ens rationis objectivè.

4 Quartò: In Angelo sunt plures prædicamentales *relationes*, scilicet æqualitas, pluralitas, differentia, concordantia &c; quæ relationes sunt ortæ à consubstantialibus relationibus scilicet, in bonitate, *bonificativum*, *bonificabile*, & *bonificare*; quæ sunt plura per differentiam, & æqualia per concordantiam; Et talis relatio est vera realis primitiva, & necessaria; & est ens rationis per animam.

5 Quintò: In Angelo est prædicamentalis *Actio*, quæ oritur de substantiali actione; cum qua actione, Angelus est agens intelligendo, diligendo, & recolendo; & in inferioribus possificando; & hoc realitè: Quam realitatem intellectus non potest negare per ens rationis.

6 Sextò: In Angelo est prædicamentalis *passio*, cum qua patitur substantialis passio; nimirum spiritualis materia: Sub ista passione patitur unus Angelus objectivè sub aliò. Quæ objectatio est loquela, vel scientia, quam unus Angelus habet de aliò;

Et

Et hoc realiter, & magis realiter, quam sit ens rationis per animam.

7 Septimò: In Angelo est *habitus* sub quo est habituatus; quia primum objectum videlicet Deus, objectat se Angelo, ut Angelus de ipso habeat scientiam: Quæ scientia est suus habitus sub quo intelligit Deum, & se ipsum: & unus Angelus alium: Et sub illo habitu, qui est bonus, magnus &c. habet Angelus bonam, magnam &c. potestatem in inferioribus: Et talis habitus est realis, & per Animam, rationalis.

8 Octavò: Angelus est *situatus* in suis innatis principijs; & è conversò: sicut totum in suis partibus, & sicut sunt partes in toto; qui Situs est separatus à corporali situ, cum non sit lineatus, circulatus, nec angulatus; Ratio est; quia est spirituale accidens, & hoc realiter; de qua realitate, anima constituit objectivè en rationis.

9 Nonò: Angelus est in *tempore* propter hoc, quia est, & non erat; & quia in tempore est intelligens, volens, & recolens, & etiam agens; Non dico, quod etiam in tempore moveatur de uno instanti in alium  
succes-

ſucceſſivè; quia motus Cœli non poteſt ipſum movere, cum non fit corpus, nec habeat anteriores, nec poſteriores partes: De hoc autem Anima non poteſt facere ens rationis, quoad ſenſum, & imaginationem; cum Angelus non fit in tempore imaginabilis, nec ſenſibilis, ſed ſolùm intelligibilis: Et hoc realitèr; quod intellectus rationalitèr non poteſt negare.

10 Decimò: Angelus eſt in *loco* per accidens; Nam ſi eſt in uno loco, non eſt in alio; & ſi mutat ſe de uno loco in alium, non tranſit ſic collocatus per medium: Sicut non eſt collocatus in loco, in quo eſt; Et hoc intellectus non poteſt intelligere cum ſenſu, & imaginatione; ſed ficto modo quoad ens rationis poteſt opinari: Sed id quòd opinatur eſt neceſſarium, & ens reale ſubjectivè; Ex quo oritur ens rationis, quòd eſt altius per intelligere objectivè denudatum à ſenſibili, & imaginabili, quàm per intelligere mixtum objectivè per ſenſibile, & imaginabile.

11 Dictum eſt de Angela diſcurrendo per decem Prædicamenta: Cum quo diſcurſu

curfu intellectus intelligit, essentiam An-  
geli, & individuationem ejus; quia est val-  
dè alta, & profunda.

**DE COELO DEDUCTO PER PRI-  
mam Distinctionem.**

**P**rimò: Quòd Deus sit Causa ef-  
ficiens cœli, sic probo: Omne  
illud, per quòd est magis intelligibile,  
& amabile, quòd Deus sit melior, major,  
& magis potens, æterna, virtuosa, vera, glo-  
riosa, & primitiva causa, illud est à Deo,  
ab Angelis, & à nobis intelligibile, & ama-  
bile; Sed hoc est, si Deus est Causa effi-  
ciens Cœli, & Cœlum ejus effectus: Ergo  
Deus est Causa efficiens Cœli, & Cœlum  
ejus effectus.

Nullum ens est Causa magis bona, mag-  
na &c. sui effectus; nisi comprehendat, &  
ambiat ipsum simpliciter causando & pro-  
ducendo ipsum de non esse in esse; Sed  
Deus est causa magis bona, magna &c. sui  
effectus: Ergo comprehendit, & ambit ip-  
sum, simpliciter causando ipsum de non esse  
in esse; cujus effectus, factum est Cœlum.

Hi

Hi duo Syllogismi sunt primitivi, veri, & necessarij; & hoc non potest ens rationis rationabiliter negare: Ergo cœlum est factum, creatum, & individuatum de nihilo, usque ad suum esse per omnia quæ habet; Aliàs duo prædicti Syllogismi essent simul oppositi; cum tamen sint primitivi, veri & necessarij, quòd est impossibile.

2 Secundo: Cœlum est Causa efficiens propter hoc; quia causat inferiora, & hoc secundario: Quia Deus causat ipsum effectivè, ut supra probatum est; Et est Causa cum suis innatis principijs, scilicet cum *bonitate, magnitudine, duratione &c.* Quæ principia sunt facta à divina *bonitate magnitudine &c.* transcendentibus quidquid Cœlum est, & quidquid potest agere; Et talem realiter objectat intellectus rationabiliter quando à Divinis Rationibus est illuminatus.

3 Tertiò: Cœlum est individuatum, quoad suam formam, & suam materiam, & quoad sua innata accidentia. Quoad suam formam; quia ipsum est individuatum de intrinsecis *tivis*, scilicet de *bonificativo,*

*magnificativo* &c. & sic de ejus materia, quæ est individuata de *bilibus* intrinsecis, scilicet de *bonificabili*, *magnificabili* &c. usquequò est unum corporeum individuum; Et hoc realiter subjectivè; Quod intellectus causans ens rationis, rationabiliter non potest negare.

4 Quartò: Omne illud, per quòd Deus est magis generalis Causa Cœli, quoad suam *bonitatem*, *magnitudinem* &c. est à Deo, ab Angelis, & ab hominibus intelligibile, & amabile; Sed hoc est, si Cœlum est totum factum, & creatum: Ergo totum Cœlum est factum, & creatum est à Deo; Et ab Angelis, & ab hominibus intelligibile, & amabile; Ratio hujus est; quia Cœlum & quidquid habet, est in tanto altiori fine, quanto magis est effectus. Et est impossibile, quòd illud per quòd Deus est minus finis Cœli, quoad *bonitatem*, *magnitudinem* &c. sit à Deo, ab Angelis, & hominibus intelligibile, & amabile: Sed hoc est, si Cœlum est æternum: Igitur est manifestum, quòd Cœlum sit creatum.

Isti duo Sillogismi sunt primitivi, veri,  
& ne-

& necessarij; Et Sillogismi oppositi sunt falsi, & impossibiles: Igitur Coelum est creatum; & per consequens æterna vita hominum est intelligibilis, & amabilis à Deo, ab Angelis, & ab hominibus; Quæ vita est impossibilis, si Mundus est æternus; & novitas Cœli est ens reale; Unde anima colligit, vel haurit ens rationis. Diximus de Cœlo discurrendo per quatuor Causas; propter quòd humanus intellectus potest habere notitiam de illo.

*DE COELO DEDUCTO PER SECUNDAM DISTINCTIONEM.*

1 **P**rimò: Coelum non est *genus*, in quantum est corpus contractum sub suo genere, de quo sumus locuti in secunda distinctione, quòd corpus Cœli est ens reale; & consequenter ens rationis objectatum ab Anima.

2 Secundò: Potest dici, quòd Coelum sit genus in quantum habet sub se *species*, scilicet Octo Sphæras, quæ sunt ejus partes, & ipsum est totum; Et tale genus est ens reale, & ens rationis.



3 Tertiò: Cœlum habet suas innatas *differentias*, de quibus est individuata ejus communis differentia: ratio hujus est; quia sua innata principia, differunt; & quia simul constituunt unum Cœlum, componunt unam generalem differentiam; Quæ differentia est ens reale, & etiam ens rationis.

4 Quartò: Cœlum habet suas *proprietates*, vel proprias qualitates; quia quodlibet innatum principium est ei proprium, scilicet propria prædicamentalis bonitas derivata à propria substantia, scilicet bonitate: Unde sequitur, quòd Cœlum habeat propriam naturam, & naturam propriandi: Sicut bonitas, quæ est illius proprium principium, & in ipso individuatum, quòd appropriat magnitudini, &c; Et tales proprietates sunt entia realia, & entia rationis; Nam si essent mera entia rationis, essent figmenta, & Cœlum posset habere nullam naturam, quòd est impossibile.

5 Quintò: Cœlum habet sua correlativa *accidentia* orta à suis innatis principijs, & sustentata in ipsis; & hoc realitèr, quòd ens rationis non potest negare; Aliàs Cœlum

lum

sum esset pura substantia, & non corpus, quòd est impossibile.

Diximus de Cœlo discurrendo per quinque Prædicabilia; Cum quibus de ipso potest haberi notitia, & differentia, quæ est inter ens reale, & ens rationis subjective, & objective.

*DE COELO DEDUCTO PER TERTIAM Distinctionem.*

**P**Rimò: Substantia Cœli est substantia magis individuata, quàm aliqua alia substantia corporea; quia Cœlum est majus corpus, quàm aliud corpus: Et sicut substantia est magis individuata; sic omnes suæ partes sunt magis individuatæ, scilicet sua innata principia, & octo Sphæræ; Et dicuntur individuata contrahendo se ad essentiam Cœli, ita ut una pars non sit alia, & omnes partes sint permanentes in substantia Cœli; Et hoc integrè, sine aliqua divisione; & propterea est Cœlum sic individuatum, quòd nihil ab extrà recipiat; nec pro inde crescit, nec minuitur: Unde sequitur

55

quitur, quòd naturalitèr sit incorruptibile;  
& hoc realitèr, quòd humana ratio non  
potest rationabilitèr negare.

2. Secundò: Coelum est *quantum* per suam  
quantitatem; & quantitas est in ipso indi-  
viduata, ita ut sit indivisibilis; nec potest  
augeri, nec minui: & cum illa quantitate  
causat Coelum quantitates inferiorum cor-  
porum, nihil de sua quantitate extrà depo-  
nes: Sicut dolabrum percutiens lignum, ni-  
hil de sua essentia extrà mittit in essentiam  
ligni: Causa verò cur Coelum hoc non po-  
test facere, est; quia sua quantitas partici-  
pat in genere cum alijs quantitatibus, vi-  
delicet cum quantitate elementorum, &  
elementorum; Et quia Coelum, cum sua  
quantitate est mobile in se, movet inferio-  
res quantitates; cum ejus motus sit maxi-  
mus omnium; & consequenter primus: Et  
hoc realitèr; quòd intellectus per ens ra-  
tionis non potest negare.

3. Tertiò: Coelum habet suas innatas,  
& individuatas *qualitates*; ita quòd sua  
bonitas sit qualis sine alteratione; & sic  
de sua magnitudine &c; Et quia illius qua-

P

litates

litates participant in genere bonitatis, magnitudinis &c. cum inferioribus qualitatibus, causat Cœlum cum suis qualitatibus effectivè qualitates elementorum, & elementatorum, cum sint altiores & potentiores; Quòd rationabiliter est intelligendum, per id; quia sunt reales causæ; Et Cœlum etiam multiplicat qualitates Elementorum, scilicet caliditatem, humiditatem frigiditatem, & siccitatem; & hoc in elementatis individuis, sicut Saturnus, qui multiplicat frigiditatem, & siccitatem, & sic de alijs; licet non sit per se siccus, & frigidus.

4 Quartò: Cœlum, cum suis *relationibus*, cum quibus est individuatum, causat inferiores relationes, scilicet *movens, mobile, & movere, bonificans, bonificabile, & bonificare, &c.* Ratio hujus est; quia suæ *relationes*, sunt in altiori motu, quàm inferiores *relationes*.

5 Quintò: Cœlum est *activa* substantia ex parte formæ; de qua oritur *Predicamentalis actio*, cum qua causat inferiores actiones effectivè, scilicet *actionem* ignis, aëris, & aliorum elementatorum corporum.

Ratio

Ratio hujus est; quia sua actio est potentior, quàm inferiores actiones; Et etiam quia participat cum ipsis in genere; & hoc realitèr: de qua realitate, intellectus concipit ens rationis.

6 Sextò: Coelum habet materiam, ut supra dictum est, de qua materia oritur *Prædicamentalis passio*, quæ causat inferiores *passiones* ortas ex materialibus *passionibus*; Et hoc potest fieri; quia participat in genere materiæ cum elementatis rebus; & etiam quia superiores motus sunt fortiores, quàm inferiores.

7 Septimò: Coelum cum suo *habitu*, vel cum suis habitibus est sic individuatum, sicut cum suis alijs accidentibus; cum quibus *habitibus* causat inferiores *habitus*; Nam sicut intellectus sub habitu scientiæ intelligit intelligibilia; Sic Coelum cum suis *habitibus* habituat inferiores *habitus*; non quòd superiores *habitus* sint divisi, sicut visiva potentia, quæ causat visibile objectum, nihil extrà se transmittens; quia participat cum objecto in genere bonitatis, magnitudinis &c.

8 Octavò: Cœlum est individuatum in suo *situ*, sicut est collocatum in suo loco; cum quo situ diffuso in pluribus extrinsecis *sitibus* causat exteriores situs; quia participat cum ipsis in genere, videlicet in longitudine, latitudine, & profunditate; Item in bonitate, magnitudine &c.

9 Nonò: Cœlum est sic individuatum in suo *tempore*, sicut in sua *quãtitate*, *qualitate* &c: In quo *tempore* est mobile intrinsecè, & hoc successivè; cum quibus scilicet tempore, & motu causat tempus in inferioribus substantijs, & successiones eorum. Ratio est; quia participat, cum ipsis in genere in successione; quòd genus est tempus absolutum contractum in Cœlo, in elementis, & elementatis; & sic de absoluta successione: Et hoc ideò, quia est bonum, magnum &c.

10 Decimò: Cœlum est individuatum in suo *loco*, qui est contractus, & derivatus à *loco* absoluto in genere, à quo generali *loco* derivantur loca elementorum, vel elementatorum; Et quia *locus* Cœli, & loca elementorum participant in genere; & quia

*locus*

*locus* Cœli ambit loca elementorum in quantitate, bonitate, magnitudine &c. Causat Cœlum cum suo loco effectivè inferiora loca, & collocat unum locum cum alio secundum quòd unus individuus locus est contentus in alio; Et hoc ideò quia est bonum, magnum &c.

Diximus de Cœlo discurrendo per decem Prædicamenta; & data est doctrina de ejus individuitate, & de ejus realitate, & etiam per quem modum sit in anima, quoad ens rationis, acquisitum per intelligere &c.

*DE ELEMENTO DEDUCTO PER  
primam Distinctionem.*

I **I**gnis est individuum; & idem potest dici de alijs elementis; Ipse ignis est factus, & Deus est efficiens: Ignis etiam est efficiens propter hoc; quia causat motum, calorem, siccitatem &c. in inferioribus individuis; Et ideò cum ipse sit efficiens, multò magis Deus est ejus Causa efficiens: cum Deus sit causa, cum suis supremis rationibus; ignis verò est causa,

cum suis inferioribus principijs innatis; Et hoc, ens rationis non potest negare; scilicet, quòd Deus non sit causa efficiens ignis.

2 Ignis est substantia composita ex forma, & materia; quæ forma est individuata ex proprijs *tivis* ignis; & materia, etiam ex proprijs *bilibus*; Et ideò est forma ignis causa formalis, & ejus materia est causa materialis: Ipse autem cum sua forma in sua propria materia deducit alias formas, & materias elementorum, ratione mixtionis, vel compositionis eorum; Et hoc est bonum, magnum &c. realitèr; Quòd humanus intellectus rationabiliter non potest negare; sed comprehendit illud objectivè, ut de hoc, quòd ignis agit subjectivè possit habere notitiam.

3 Deus est Causa finalis ignis; & ignis est secundaria Causa finalis aliorum elementorum, quæ appetunt illius calorem, & alias proprietates; Ignis autem non facit se finalem causam; quia nullum ens facit se ipsum; nec facit, quòd Deus sit ejus finis; quia si hoc esset, Deus esset causa  
illius



illius per accidens, quòd est impossibile: Igitur ignis, & ejus inferior finis est effectus; Deus autem est Causa finalis, & efficiens prima ignis &c. quòd dico rationalitèr; Unde apparet, quòd Deus absolutè sit Causa ignis realitèr.

4 Plura alia possunt dici de quatuor Causis ignis; sed evitamus prolixitatem; Et quia ea, quæ diximus de elementis, possunt dici de elementatis, ideo sufficiunt ea, quæ diximus, quoad præsens.

*DE ELEMENTO DEDUCTO PER  
secundam Distinctionem.*

**I**gnis (& sic de alijs elementis) inquantū est individuū, nō est genus; sed ejus bonitas in ipso individuata, & contracta à Generali bonitate substantiæ mundi, est genus omnibus bonitatibus, cum quibus ignis est bonificans; quæ bonitas est diffusa per plures bonas species, scilicet per species piperis, allij &c. cum quibus transit ad innata individua, & hoc realitèr; Quam realitatem humana ratio  
non

non potest negare. Ignis est cum sua *differentia* in ipso individuata, & sustentata à differentia substantiæ mundi, & diffusa per totam ejus essentiam: Et potest dici, quòd hæc *differentia ignis, sit Generalis*: quia ab ipsa derivantur plures *particulares differentia*, sicut differentia inter formam ignitam, & materiam ignitam; & sic de *tivis, & bilibus* ejus &c. Cum tali *differentia* est ignis *Causa efficiens*, & realitèr distinguens; & hoc est objectivè intelligibile.

2 Caliditas ignis est ei propria qualitas; & sic de ejus propria luciditate, de proprio motu &c. individuatis in propria essentia illius, cum qua appropriat àèri calidum esse, & appropriat aquæ calefacere in olla, & hoc, bulliente aquà, ut ipsa calefaciat, & coquat carnes &c. Talis appropriatio facta per ignem est ens reale, & omne appropriatum ens est factum; & hoc realiter: Unde cum hoc ita sit, quid mirum, si Deus sit *Causa efficiens* propriando igni esse calidum, lucidum &c; oppositum autem illius, quòd, dico dico,

non

non est per animam rationabiliter intelligibile. In igne sunt accidentia individuata, ut ejus quantitas, qualitas &c. quæ sunt accidentia communia omnibus elementis, & elementatis; Hoc, quòd dico est de primis intentionibus, cui humanus intellectus rationabiliter consentit. Diximus de igne discurrendo per quinque Prædicabilia; Et sicut diximus de igne; ita potest dici de alijs elementis, de quolibet suo modo: Cum quo discursu potest haberi notitia de elementis, & de ipsis possunt fieri veræ conclusiones.

*DE ELEMENTO DEDUCTO PER  
tertiam Distinctionem.*

I **E**lementum est substantia, quæ duobus modis potest considerari, scilicet quoad ens rationis, & quoad ens reale. Quoad ens rationis, ut figmentum, scilicet, quòd elementalis substantia sit genus, & quatuor elementa sint ejus species; Quæ non possunt esse species; quia quodlibet elementum est corpus individuatum; Individuum

viduum autem, & species non convertuntur, sed quoad ens reale, dico, quòd quodlibet elementum sit substantia individuata de suis innatis principijs, scilicet de bonitate, magnitudine &c. constituentibus ignem, quoad essentiam & ejus numerum; & de alia bonitate, magnitudine &c constituentibus aerem, & sic de aqua, & terra; & hoc non est figmentum, nam si sic, nullum elementum esset substantialitèr bonum, magnum &c; quòd est impossibile.

2 Elementalisis quantitas est accidens, cum quo elementum est quantum, quæ quantitas est sic contracta in uno elemento, v. g. igne, ut sit quantus, & in aere, ut sit quantus; sicut albedo est contracta in lacte, ut sit alba; & etiam in nive, ut sit alba: & hoc realitèr; Nec intellectus potest id negare per ens rationis, immo facit veram scientiam de ipsa contractione.

3 *Qualitas* est una pars substantiæ mundi, & est contracta, & diversa in elementis; quia caliditas, quæ est propria *qualitas* ignis, est una, & humiditas, quæ est propria *qualitas* aëris, est alia; & sic de frigiditate

ditate in aqua, & de siccitate in terra; Et ideò est ignis sic individuatus cum caliditate, quasi sicut cum quantitate; & idem est de alijs elementis, de quolibet suo modo; & hoc realitèr, de qua realitate intellectus facit scientiam per ens rationis.

4 In elementata substantia sunt Prædicamentales relationes ortæ à substantialibus, scilicet *calefactivum*, *calefactibile*, & *calefacere*, quæ sunt orta ab *ignificativo*, *ignificabili*, & *ignificare*, & sic de alijs; & hoc realitèr; Sed quoad ens rationis potest hoc duplicitèr esse; quia *calefactivum*, *calefactibile*, & *calefacere*, quoad se ipsa non differunt, nisi ficto modo; Nam si differrent, caliditas esset substantia; sed differunt in subjecto, quia ignis est calefactivus *formaliter*, & calefactibilis *materialiter*, & hoc realitèr.

5 Elementalís *actio*, est Prædicamentalis propter hoc; quia per accidens oritur à substantiali actione, & idem potest dici de elementalí *passione*, quæ per accidens oritur à substantiali passione, de quo intellectus per ens rationis facit realem scientiam.

6 Ele-

6 Elementum, vel elementatum est *habituatum*, de suo proprio *habitu*: Sicut ignis sub caliditate, & aqua sub frigiditate, & sic de alijs, & hoc realitèr; De qua realitate facit ens rationis, propter quòd intellectus concipit scientiam.

7 Elementum est *situatum*, propter quem situm habet lineas, angulos, circulos, & figuram; & hoc apparet in elementatis; & quodlibet elementum est *situatum* in alio; aliàs corpus elementatum non esset plenum, nec continuatum, & ens rationis non esset ejus scientia.

8 Elementum, vel elementatum scilicet ignis, vel ignitum, & sic de alijs verè; & realitèr sunt in *loco*? Sicut sphaera ignis, quæ est sub lunari globo; & sphaera aeris, quæ est sub sphaera ignis, & sic de alijs: idem posset dici de elementatis, in quibus unum elementum est collocatum in alio, de quo habemus exemplum per sensum, & imaginationem in denario in quo argentum est in cupro, & cuprum in argento; aliàs esset vacuum, & non continuatum, quòd est falsum: Igitur sequitur, quòd verè,

&

& realiter, ens rationis sit scientia, ideo quia intellectus conciderat, quod unum elementum sic collocatum in alio.

Diximus de elementis, & elementatis, discurrendo per decem Prædicamenta; Et est data doctrina quoad ens rationis, & quoad ens reale, per quem modum possit haberi scientia de elementis, & elementatis, cum decem prædicamentis.

*DE HOMINE DEDUCTO PER  
Primam Distinctionem.*

I **H**omo est efficiens pluribus modis naturaliter in generando hominem; Item cum facit suam visivam potentiam videre, suum intellectum intelligere &c. Artificialiter autem est efficiens in quantum facit scientiam: Item sicut Carpentarius, qui facit arcam artificialiter; quæ omnia homo facit benè, magnè verè &c; Deus autem est magis efficiens causa, quam homo: Unde sequitur, quod Deus faciat hominem de homine, & faciat visivam potentiam videre & intellectum intelligere,

ligere, & Carpentarium facere arcam: Igitur Deus est causa efficiens prima, & maxima; & hoc immediatè, & etiam mediatè; quia facit de homine instrumentum, ut homo generet hominem; & de visiva potentia, ut videat objectum; & de intellectu, ut intelligat objectum, & sic de alijs: Igitur est ostensum quomodo homo fit efficiens cum Deo, & cum de ipso, de quo ente rationis est realis scientia.

2 In homine, anima est forma, & corpus materia; Et dicitur, quod anima sit forma; quia deducit embrionem in humanam speciem, informando corpus, & movendo illius partes; & talis forma, & talis materia sunt entia realia in homine, & etiam partes ejus.

3 Deus est causa finalis hominis, & hoc primariò; & secundariò homo est finis omnium corporalium entium videlicet Cœli, & Elementorum, & elementatorum, quæ non possunt objectare Deum, & serviunt homini, ut objectet Deum intelligendo, recolendo, & amando ipsum; Et talis finis est realis, de quo intellectus facit scientiam.



Diximus de homine breviter discurrendo per quatuor causas; quia ea, quæ diximus, sufficiunt intellectui benè intuenti.

*DE HOMINE DEDUCTO PER SECUNDAM DISTINCTIONEM.*

1 **H**OMO non est *genus*; quia quoad ens rationis est *species*, & etiam quoad ens reale; nam si non esset *species* non posset esse individuum, scilicet Socrates, Plato &c; Nec humanum individuum posset participare in natura cum animali; Igitur homo, ut *species*, est ens rationis, & ens reale. Homo etiam, in quantum est *species* est individuum, propter hoc; quia ejus bonitas, magnitudo, quæ sunt ei innata principia, sunt derivata à bonitate, magnitudine &c. speciali; scilicet individualis bonitas magnitudo &c. in Socrate, Platone &c. à bonitate, magnitudine &c. speciei.

2 In homine est *differentia* inter animam, & corpus; Anima habet *differentias* quoad sua innata principia, quæ differunt; & sic de corpore respectivè; quæ *differentiæ* sunt

conjunctæ in homine ratione conjunctionis animæ, & corporis; & sic est una differentia in alia per totum hominem, de quo intellectus facit veram scientiam.

3. In homine sunt plures proprietates, quoad animam, & quoad corpus; Quoad animam: quia ibi est proprium intelligere, amare, & recolere hoc individuatum; & quoad corpus sunt risibilitas, risio, auditus &c. individualitèr, quòd intellectus ratio- nando judicat esse verum.

4. In homine sunt plura accidentia, nimi- rum caliditas, frigiditas &c. ex parte cor- poris. Item justitia, prudentia &c. ex parte animæ; posito, quòd homo sit justus, pru- dens &c.

Diximus de homine discurrendo per quinque prædicabilia; Et per hoc quòd de ipso diximus, cum Prædicabilibus potest de ipso haberi notitia.

## DE HOMINE DEDUCTO PER *Tertiam Distinctionem.*

I **H**omo, scilicet Socrates, Plato &c. est *substantia*: quæ prædi-

catio

catio est ens rationis; quia homo est plus, quàm substantia animæ, vel corporis, quæ sunt ejus partes; sed si intelligitur, quòd homo sit compositus ex substantia animæ, & corporis, tunc est realis prædicatio, sed substantia est magis individuata, quàm alia substantia, quia est major, scilicet composita, ex pluribus essentijs, scilicet ex essentia elementativa, vegetativa, sensitiva, imaginativa, & rationativa; & nulla alia substantia est composita ex tot substantijs; propterea dicitur, quòd homo sit majus individuum mundi.

2. Homo est *quantus* ex tot essentijs, ex quot est individuatus, & compositus: Unde sequitur, quòd sua quantitas sit magis individuata, quàm quævis alia quantitas; de quo ens rationis facit realem scientiam.

3. Sicut in homine, quantitas est multiplicata ex pluribus quantitatibus: sic est ejus qualitas multiplicata ex pluribus qualitatibus; & ideò est major, quàm cæteræ qualitates entium: Unde sequitur, quòd homo sit magis qualis, quàm aliquod aliud individuum; quod intellectus verè attingit

per ens rationis, faciens de eo realem scientiam.

4 In homine sunt plures *relationes*, quàm in alio individuo; quia rationes elementales, vegetabiles, sensibiles, imaginabiles, & rationabiles descendunt à superioribus relationibus, & concurrunt ad unum hominem relatum, scilicet ad hominem patrem, & ad hominem filium, & ad hominem magis bonum, & minus bonum &c. quod est verum, & ejus oppositum non est intelligibile.

5 In homine sunt plures individuatae *actiones*, quàm in alio individuo; quia in ipso congregatur, vel individuatur *actio potentia elementativa, vegetativa, sensitiva, imaginativa, & rationativa*: Unde sequitur, quod homo sit magis agens diversimodè, quàm quodvis aliud individuum; & hoc realitèr, & moralitèr.

6 Sicut in homine sunt plures actiones, quàm in alijs creatis entibus, ut dictum est; Sic sunt plures *passiones* individuationes, & contractiones passivæ: Unde sequitur quod sit magis passus, & passibilis, quàm aliquòd aliud individuum.

7 In homine etiam sunt plures *habitus* quàm in aliquo alio individuo; quia in ipso contrahitur, vel individuatur *habitus* quinque prædictarum potentiarum; & hoc quoad ens reale, & naturale; sed ad hæc magis, quoad ens rationis, scilicet *habitus* Grammaticalis, Logicalis &c. *habitus* mechanicus, & etiam moralis.

8 Homo est habituatus de pluribus *siti-*  
*bus*, quàm aliud individuum; quia prædic-  
tæ potentiæ concurrunt, ut sint individuatae,  
& situatae in hoc homine, scilicet Socrate  
Platone &c: quòd intellectus non potest ne-  
gare.

9 Homo Socrates est individuatus in *tem-*  
*pore*; quia est in illo *nunc*, in quo fuit natus,  
quoad essentiam temporis; aliter non esset  
antiquatus; & hoc realitèr; sed quoad ens ra-  
tionis successivè est multiplicatus de uno  
*nunc* in aliud, ratione motus Coeli.

10 Homo est in *loco* in quo est collocatus,  
scilicet in camera, vel in aula &c; non ta-  
men dico, quòd sit in camera, vel in aula  
individuatus localitèr, quoad ens reale; sed  
quoad ens rationis; Veruntamen est reali-

tèr

tèr individuatus in *loco* qui est ejus pars, sicut in alijs Prædicamentis, quæ etiam sunt partes illius; Sic autem fuit individuatus in *loco*, dum erat in camera, sicut quando fuit in aula.

Dictum est de homine discurrendo per decem Prædicamenta: & per ea, que dicta sunt, potest homo habere notitiam de se ipso, & de alio homine; quæ notitia est valde alta, utilis, & profunda.

### DE BRUTO DEDUCTO PER PRIMAM Distinctionem.

1. **B**rutum est efficiens propter hoc, quia unum generat aliud naturaliter, & sic de irundine, quæ facit suum nidum artificialiter, in qua factione est realis successio: Unde ens rationis causat scientiam, cum qua intellectus cognoscit, quòd Deus sit causa efficiens bruti; Nam si brutum est causa efficiens in tempore successivè, benè sequitur, quòd Deus sit causa efficiens in causando tempus bruti.

2. In bruto sunt plures individuatae formæ,

ma, decisæ à pluribus superioribus formis; scilicet *particularis* elementalis à *generali* elementativa forma, & *particularis* vegetativa forma individuata, & decisæ à *generali* vegetativa forma; & sic de *sensitiva*, & *imaginativa*; quæ omnes *particulares* formæ constituunt unam individuatam formam in quolibet individuo: Et hoc realiter, & extrâ ens rationis, quòd est ejus signum objectivè.

3 Idem potest respectivè dici de materia bruti, in brutali individuo, quòd dictum est de forma, ex quibus scilicet formâ, & materiâ ipsum brutale individuum compositum est; Et hoc sufficiat ad declarandum; quia evitamus prolixitatem.

4 Deus est Causa finalis bruti, & hoc immediate; Homo verò secundariò est causa finalis bruti; quia servit homini; Brutum verò est secundaria finalis causa Coeli; quia Coelum servit bruto; & sic gradatim Deus est causa finalis simpliciter omnium brutorum quòd rationabiliter est intelligendum.

Diximus de quatuor Causis applicatis bruto; Et per ea, quæ diximus potest haberi notitia de bruto.

DE BRUTO DEDUCTO PER SE-  
cundam Distinctionem.

1 **B**rutum est *genus* quoad ens ratio-  
nis, & quoad ens reale est *genus*  
inferius, propter hoc, quia habet reales *spe-*  
*cies*, scilicet equum leonem &c. sed quia ho-  
mo est animal, & brutum est animal, bru-  
talitas, vel brutum non potest esse *genus* su-  
perius, cum brutum non possit prædicari de  
homine: & hoc rationabiliter.

2 In Bruto sunt plures particulares *diffe-*  
*rentiæ* individuatae, & decisæ à generali-  
bus differentijs; nempe inter formam, &  
materiam bruti est differentia, & sic de ejus  
innatis principijs in quolibet individuo in-  
dividuato per viam generationis; quæ dif-  
ferentia distinguit species, scilicet species  
equi, leonis &c; Et hoc est intelligibile; &  
ejus oppositum non est credibile.

3 Est una generalis *Proprietas* per totam  
substantiam mundi, quæ est una pars ejus;  
ipsa autem naturaliter est cum motu cœli  
generando unum brutum de alio; & est cau-  
sa individuationis proprietatum brutorum:

sicut



sicut equus , qui habet suam propriam naturam , quoad suum numerum , & leo suam : & sic de alijs : Unde sequitur , quòd quodlibet brutum habeat suam propriam industriam vivendi , scilicet equus comedendo herbas , leo carnes , formica servando frumentum , & sic de alijs ; proprietates autem sunt entia realia , ex quibus intellectus extrahit scientiam rationabiliter consideratam .

4. In bruto sunt accidentia illius individuata , & propria quoad individuatum numerum ; nimirum *quantitas* hujus leonis , *qualitas* &c. & brutum agit cum intrinsicis accidentibus , extrinsecè artificialiter per accidens v. g. aranea agens telam ad capiendum muscas , & apes ad componendum favum , ut habeant in hyeme unde vivant .

Dictum est de bruto per quinque Prædicabilia ; Et per ea , quæ de ipso dicta sunt , potest homo habere notitiam de bruto , quoad ens reale , & quoad ens rationis .

**DE**

DE BRUTO DEDUCTO PER TER-  
tiam Distinctionem.

1 **S**ubstantia bruti est composita, & individuada de suis innatis principijs, scilicet de *bonitate, magnitudine &c.* Idem est dicendum de accidentibus, quæ sunt composita de ipsis principijs; nam sicut textor multiplicat, & facit telam de pluribus filis: sic naturale agens generans multiplicat substantiam bruti individuatam à superioribus influentijs venientibus, & constituentibus numeratam, vel numeralem substantiam, scilicet ipsum equum, ipsum leonem; Et hoc realiter, & subjectivè; de quo intellectus facit scientiam objectivè.

2 Generalis *quantitas* descendit ad particulatam quantitatem, mediante *differentia, & concordantia &c.* distinguendo, & concordando inter quantitatem, & quantitatem, augmentando inferiores quantitates de superioribus quantitatibus transeuntibus per plures species, usquequò corpus est genitum; quantum in suo numero, dif-  
ferens

ferens ab alio corpore per aliam quantitatem, cum qua est quantum: sicut in purpurea textura, in qua apparent multæ variæ figuræ, qualibet habente suam numeralem, & individuatam quantitatem; & hoc subjectivè realitèr: de qua realitate intellectus objectivè generat scientiam.

3 *Qualitates* brutorum, sic descendunt à superioribus principijs, sicut dictum est de quantitate; differentia diversificat ipsas; & concordantia unit, & concordat ipsas, generando, & augendo quantitatem, & corrumpendo antiquas quantitates; ideò quia novæ veniunt de potentia in actum generando, & nutriendo per sensitivam sentiendo, & vivendo; Et hoc est naturalitèr, & artificialitèr intelligendum.

4 In bruto generantur *relationes*, deducendo ipsas de potentia in actum, derivatæ à superioribus relationibus, mediante agente naturali, & motu cœli; scilicet per generantem moventem, & per genitum motum, mediante movere, & generare: Hæc omnia fiunt realitèr, & etiam rationabilitèr.

5 In bruto sunt prædicamentales *actiones*,

&

& *passiones* transeuntes per omnia alia prædicamenta; quæ scilicet *actiones*, & *passiones* veniunt à superioribus, & existunt in inferioribus objectis, & habent permanentiam; Et hoc est rationabiliter intelligendum; quia realiter fiunt.

6 In brutis est *habitus* individuatus, & genitus; Nam sicut cappatus est habituatus de cappa; sic iste leo est habituatus de suo *habitu*, ipso *habitu* deciso à superioribus *habitudinibus*; & sic est per habitum caliditatis, calidus, per *habitudinem* vegetativæ, est vegetatus; per *habitudinem* sensitivæ, est sensatus, & vivus; per *habitudinem* imaginationis, habet industriam ad vivendum, acquirendo delectabile, & evitando nocibile.

7 Brutum est *situatum*, & figuratum, dum est deductum de potentia in actum; In qua potentia participant superiores *situs* cum porta clausa, & aperta per motum generationis; Et hoc realiter subjectivè, & obiectivè intelligendum est.

8 Brutum est in *tempore* duobus modis; videlicet, dum est *in potentia*; & dum est *in actu*: Quando est in potentia, est in tem-

pore

pore sine motu , & successione ; sed quando est deductum in actum, est in tempore per successivum motum, generando, & corrumpendo , & ad hoc concurrat locus in quo brutum est individuatum ; Sicut quantitas, in qua est quantum ; & qualitas, in qua est quale &c. Omnia ista sunt naturaliter, & quoad scientiam artificialiter ; nam quod est naturaliter, objectat intellectus artificialiter.

9 Sicut brutum est individuatum per alia Prædicamenta, & sustentatum in sua substantia; sic est individuatum in *loco* in quo est ; Dico , in loco in quo est; quia est ejus accidentalis pars ; non tamen loquendo de superiori exteriori *loco* , in quo est collocatum; sed de *loco* sustentato in ejus substantia; & in quo illius substantia est sustentata , cum quantitate , per quam est quanta; cum qualitate, per quam est qualis &c; Et talis *collocatio* est realis, & individuata ; *Locus* autem , in quo brutum est collocatum scilicet in aula, vel in campo , non est ejus pars; sed est *locus* objectatus ab anima.

Diximus de bruto deducto per decem

Præ-

Prædicamenta; Et per ea, quæ de ipso diximus, potest intellectus facere scientiam contra falsas oppositiones, quæ de ipso fiunt.

*DE VEGETATO DEDUCTO PER  
Primam Distinctionem.*

I **V**EGETANS est efficiens; ideò, quia una planta producit aliam generando, producens innata principia, quæ habet in potentia ad actum; sicut granum seminatum in terra; quòd habet in potentia spicam, quam de sua essentia producit, & generat, quòd facit cum omnibus partibus, quas habet; & etiam de ipsis, & cum motu cœli; & etiam cum elementis, in quibus est plantatum; & tale efficiens est sic totum factum à Deo, sicut, & efficiens, & adhuc plus; quia Deus est magis efficiens, quàm ipsum granum; quia illa principia, quæ habet in potentia, deducit de superioribus principijs successivè factis, usque ad creationem; & hoc realitèr, ut ejus factio ambiat, & comprehendat omnes factiones, & factibilitates.

2 In vegetato sunt plures formæ; Nam quot sunt activa principia, tot sunt forme, ex quibus constituitur una individuata forma, cum qua efficiens movet materiam, & passiones, constituendo materiam ex passionibus, usquequo vegetatum sit compositum ex materia, & forma, & cum ipsis, & de ipsis individuatum.

3 Finis vegetati, est multiplicare suam speciem constituendo unum individuum, & postea aliud, & sic successivè; ut naturalis motus non sit otiosus, nec fractus; & talis finis est subalternatus; sed ultimatus finis est Deus, qui est finalis causa.

Quòd dictum est de vegetato; est intelligendum quoad ens reale, & ens rationis, scilicet subjectivè, & objectivè.

## DE VEGETATO DEDUCTO PER *Secundam Distinctionem.*

1 **V**EGETATIVA est *generalis* potentia habens in potentia plura vegetabilia diversa per species, quarum una distinguitur ab alia, scilicet rosa, à lilio; Vege-  
tativa

tativa potentia est *generalis*; quia est constituta ex generalibus principijs; & est diffusa per species, sicut bonitas, quæ est omninò generalis, & quando prædicantur magnitudo, duratio &c. de illa, tunc non est omninò generalis; quia est specificata, & contracta; nec est omninò specifica, usquequò est contracta in isto individuato, vel in illo; scilicet in hac rosa, vel in illo lilio, in quibus bonitas, & magnitudo &c. sunt individuata.

2 In vegetato sunt plures *differentia* derivatae ab una generali *differentia*, quæ est superius; cum quibus differentijs, vegetatum est motum, & constitutum; scilicet in rosa, in qua sunt plura diversa folia, & qualitates, & figurae &c. Et in rosa sunt plures *concordantia*, & plures *contrarietates* &c. Et hoc usque ad centrum, scilicet vegetatum individuatum formatum, & materiatum.

4 In vegetativa sunt plures *proprietates* decisæ ab una *proprietate*, quæ est generalis; Sicut reubarbarum, cui proprium est purgare choleram; & scamonium omnes complexionem &c. Et tales individuate *proprie-*



*prietates* sunt in quolibet vegetato, cum quibus *proprietatibus*, Medicus causat sanitatem, & hoc artificialitèr.

4. In planta sunt plura accidentia; scilicet in pipere caliditas, siccitas, humiditas, & frigiditas; quolibet accidente permanente individuato in suo gradu, scilicet caliditas in *quarto* gradu, siccitas in *tertio*, humiditas in *secundo*, frigiditas in *primo*; & oppositum est in camphora; Vegetatum est in quinque Prædicabilibus realitèr subjectivè, de qua realitate, ens rationis facit scientiam objectivè.

## DE VEGETATO DEDUCTO PER *Tertiam Distinctionem.*

1. **V**EGETATUM est *substantia*, in qua omnes suæ partes sunt individuatæ, scilicet rosa, pomum &c; Ipsa est una, & habet in se plura; ideò plura superiora constituunt, unum inferius individuum, in quo plura individuata sunt permanentia; Et ideò est substantia per se existens habens permanentem naturam; ideò, quia est una, & ha-  
bet

bet in se plura; & si perderetur ejus unitas, perderetur etiam ejus pluralitas, & è conversò; quæ perditio fit, quando corrumpitur.

2. Vegetatum est *quantum* per suam *quantitatem* individuatum, & sustentatum in ipso; & quando perditur *quantitas*, perditur vegetatum; & quando crescit *quantitas*, ipsum etiam crescit; & quando diminuitur *quantitas*, ipsum etiam diminuitur. Per talem *quantitatem*, est vegetatum extensum, habens suas dimensiones; in qua extensitate, omnes suæ partes sunt extentæ; aliàs perderetur continuitas, quantitatis; & quia substantia est constituta ex pluribus, conservatur discreta *quantitas*, sine quibus pluribus, substantia non esset plura.

3. Vegetatum est *quale* bonum, magnum &c. habens in se plures *qualitates*; scilicet caliditatem, frigiditatem, albedinem, nigredinem, dulcedinem, amaritudinem &c. Quæ *qualitates* sunt in ipso vegetato individuatæ; & ipsum individuum est centrum earum.

4. In vegetato sunt *relationes* constitutæ à superioribus *relationibus*, scilicet *vegetativum*, *vegetabile* & *vegetare*, in quibus con-

tra-

trahuntur *bonificativum magnificativum &c.*,  
*bonificabile, magnificabile &c.* *bonificare, mag-*  
*nificare &c.* : Unde sequitur quod vegetans,  
 vegetet benè, magnè &c. vegetatum bonum,  
 magnum &c. per *bonificare, magnificare &c.*

5 In vegetato sunt *actiones, & passiones;*  
 & sunt tot, quot sunt ejus partes; quæ *ac-*  
*tionibus, & passionibus* descendunt à superioribus  
*actionibus, & à superioribus passionibus;* &  
 ideò est vegetatum sic naturalitèr constitu-  
 tum ex suis *actionibus, & passionibus*, sicut  
 tela artificialitèr per *actiones, & passionibus*  
 filorum ex quibus est constituta; & sic  
 quando vegetatum comeditur, ipsum mul-  
 tiplicat in animali *actiones, & passionibus.*

6 Vegetatum est *habituum* sub *habitu*  
 in ipso individuato, & contracto à pluribus  
 superioribus habitibus: Sicut piper est *ha-*  
*bituum* ex calore, siccitate, humiditate,  
 frigiditate, sapore &c; sub quibus habiti-  
 bus est agens in stomacho in quo est; & sicut  
 granum, vel radix in terra in qua est.

7 Vegetatum est *situatum* per *situm* in ip-  
 so individatum, & decisum à pluribus siti-  
 bus venientibus ex superioribus partibus,

R

secun-

secundum quòd transeunt per diversas species: Sicut rosa, quæ habet *situm* diversum à *situ* pomi; & sic de alijs.

8 In vegetato est *tempus* individuatum, ipso *tempore* permanente in sua essentia, & successivo per motum, & sustentato in essentia vegetati, & vegetato temporificato in essentia temporis; sicut in quantitate, quanto; in qualitate, quali &c. Et hoc patet per istud exemplum, quòd scilicet vegetatum habeat in se quatuor potentias, *appetitivam*, *retentivam*, *digestivam*, & *expulsivam*; & hoc in eodem nunc, & per continuam quantitatem, & successionem motus.

9 Vegetatum est in *loco* suo per individuationem illi datam in vegetato cum. Superior locus habet potestatem suprà locum, qui est inferiùs. Ratio hujus est; quia vegetativa potentia, quæ est plantata, & feminata in elementativa potentia, ex qua extrahit ad se nutrimentum, augmentationem calorem, quantitatem &c. transmutant ipsum in suam speciem, quod patet per arborem plantatam in terra, & etiam per insertum;

fertum ; quia pirus inserta in pomario attrahit ad se naturam pomarij, & quidquid habet transmutando ea, quæ veniunt in suam ; & hoc ideò, quia superiores *loci* habent actiones supra inferiores, & non è conversò. Deduximus vegetativam per decem Prædicamenta ; Et ostensum est, per quem modum subjectivè, & realitè vegetatum sit subjectum eorum ; Et de hoc facit intellectus objectivè veram scientiam, ut per se patet.

**DE METALLO DEDUCTO PER  
Primam Distinctionem.**

**M**etallum est factibile successivè ; quia consistit in simplicibus elementis primis in potentia, & successivè transit ad composita elementa per motum coeli in mineris, sicut argentum, ferrum &c. in lapidibus ; aurum in arena ; Et est individuatum per ignem, & per hominem artificialitè, de quo habemus exemplum : Igitur sicut metallum deducitur ad actum per ignem, & per hominem, ipsum facientem ; sic, & multò magis Deus est causa effi-

efficiens ejus; quia creat ipsum, & in fac-  
tiones successive ipsum deducit, & indi-  
viduat, cum sit suprema causa efficiens; &  
hoc est optimum, & maximum &c.

2 Metallum est compositum ex forma, &  
materia, cujus forma est composita ex ejus  
innatis activis principijs, & ejus materia ex  
passivis principijs; & his ita naturaliter in-  
dividuatis, quòd non possit magis indivi-  
duari.

3 Metallum est factum propter finem ho-  
minis; quia nullum aliud ens indiget illo,  
nisi homo, ut cum ipso sit homo mechani-  
cus; sicut ferrum, sine quo, homo non po-  
test esse mechanicus; & si perderetur fer-  
rum, perderetur bene vivere hominis, in  
quantum non posset esse mechanicus; quæ  
perditio esset magna: igitur homo est se-  
cundarius finis ferri, & Deus est illius pri-  
marius finis: & sic Deus claudit, & com-  
prehendit omne metallum, scilicet *effective*;  
& *finaliter*; *effective*, ut dictum est: *finaliter*;  
quia homo cum metallo est serviens Deo.

Diximus de metallo deducto per qua-  
tuor Causas; per quam deductionem est  
data

data doctrina ad cognoscendum ens reale,  
& ens rationis, quoad ipsum metallum.

**DE METALLO DEDUCTO PER**  
*Secundam Distinctionem.*

1 **M**etallum est genus, quia habet sub se species, scilicet *metallum minerale*, & *lapideum*; & quodlibet horum est genus subalternatum; nam minerale habet sub se plures species, scilicet *aurum*, *argentum*, *ferrum* &c. Minerale lapideum habet etiam plures species, scilicet *rubinum*, *saphirum*, *Jaspidem* &c. sub quibus speciebus sunt metalla individuata, scilicet istud aurum, ista saphirus &c.

2 In metallo est *differentia*, cum qua metalla differunt quoad genera, species, & individua; quæ differentia est individuata in metallis decisa à superiori differentia; & illa differentia est diffusa per omnia metalla, & sustentata in ipsis.

3 Metallum habet in se multas *proprietas* individuatas; sicut rubinus, qui habet proprietatem lætificandi cor; & saphirus sanandi

sanandi oculos ; aurum conservandi naturam hominis ; ferrum scindendi, & percutiendi lapides, ligna &c; & hoc ideò, quia est durissimum.

4 In metallo sunt sua *accidentia* in ipso sustentata, cum sit corpus compositum ex substantia, & accidentibus, scilicet *quantitate, qualitate &c*: Ipsa accidentia sunt in metallo individuata, & habent in illo permanentiam, quæ accidentia descendunt à superioribus accidentibus permanentibus in substantia.

Diximus de metallo per quinque Prædicabilia : Et per ea, quæ dicta sunt de metallo, cognoscitur, quo modo sunt entia realia ; & per quem modum anima de ipsis generat scientiam.

### DE METALLO DEDUCTO PER Tertiam Distinctionem.

1 **M**etallum est *substantia* contracta à primis, veris, & necessarijs principijs, quæ contractio sic fit : Aurum, & argentum conveniunt in genere substantiæ;



*tia* ; quia quodlibet est substantia ; sed non  
 conveniunt in specie ; Sed florenus , & flo-  
 renus sunt idem specie ; quia quodlibet est  
 aurum ; sed iste , & ille florenus differunt nu-  
 mero : Et etiam iste florenus , & ille turo-  
 nensis argenti : A simili aurum , & argen-  
 tum conveniunt in genere bonitatis , mag-  
 nitudinis , quia quodlibet est bonum per  
 bonitatem : & sicut etiam duo floreni con-  
 veniunt in specie : sic conveniunt in bo-  
 nitate ; quia quilibet est bonus ; sed hic , &  
 iste differunt in bonitate propter hoc ; quia  
 differunt numero ; cum quilibet habeat  
 suam individuatum , & numeratam bonita-  
 tem , & hoc realitèr ; quam realitatem, ens  
 rationis non potest negare, contra quòd ens  
 rationis sunt alchimistæ , qui credunt trans-  
 mutare unam speciem in aliam, quòd est  
 impossibile ; quia supradicta realis indivi-  
 duatio esset perdita in natura ; & qua indi-  
 viduatione , natura esset evacuata ; quòd  
 est impossibile.

2 *Quantitas* auri , & *quantitas* argenti  
 conveniunt in genere ; sed non in specie ,  
 sed *quantitas* hujus , & illius floreni conve-  
 niunt

niunt in specie , non in numero ; nam iste non est ille; Ideò sicut substantia individuatur in metallo, ita individuatur quantitas: & hoc potest dici de genere qualitatis.

3 In essentia metalli sunt plures relationes; quia naturale agens in aurum est separatum à naturali argente in argentum ; nam ipsum agens agit formalitèr in materia auri; & sic de argento suo modo; Non quòd aurificans deducat aurum in materiam argenti, nec è conversò; quia ibi non est realis relatio, sed figmentum, sub quo Alchimistæ se ipsos decipiunt.

4 In essentia metalli sunt naturales *actiones*, & *passiones*, sicut naturales relationes, quantitates, qualitates &c. quæ actiones, & passionis perderentur, si scientia Alchymistarum esset ens reale, & ens rationis: Et sicut perderentur naturales actiones, & passionis; ita perderentur naturales quantitates, qualitates &c: sicut etiam naturales individuationes, & hoc ita, quòd realis natura esset transmutata in artificialem operationem; quòd est figmentum, & impossibile.

§ Natura sub *habitu* auri individuatur aurum usque ad individuatum numerum; & hoc etiam facit per habitum argenti; Et ad talem habitum concurrunt motus cœli, & elementorum, qui motus est separatus à motibus Alchymistarum, qui sub habitu argenti, opinantur facere aurum, & sub habitu Mercurij, argentum: & hinc apparet quomodo sunt fatui, & bubulci.

6 Metallum est genus *situatum* in suis speciebus, & species sunt *situatae* in individuis; & hoc per omnia innata principia, ex quibus *situs* est compositus, vel constitutus; Et talis situatio est realis; etiam inseparabilis, quia est naturalis, & intrinseca.

7 Metallum est in *tempore*; & est sic individuatum in suo proprio tempore, sicut quantum in sua propria quantitate, & quale in sua qualitate: Et tempus est in subiecto, in quo est naturaliter per successivum motum, & hoc primitivè, verè, & necessariò. Unde cum hoc ita sit, potest dici, ah! ah! animal bubulcum, quare venisti, quòd cum artificiali motu credis transmutare naturalem motum temporibus.

8. Metallum est in *loco*, in quo est genus; Ut patet, per hoc; quia aurum, & argentum conveniunt in genere; Et est in loco in quo sunt suæ species; scilicet iste florenus, & ille sunt ejusdem speciei: Metalla sunt etiam in *minerais*, quæ sunt loca in quibus generantur, & deducuntur de potentia in actum; & tu bubulce credis generare aurum in argento, extrâ mineram auri, & argenti!

## DE ARTIFICIO.

I **I**sta pars dividitur in quatuor partes. Prima est de *Artificio virtuoso*. Secunda de *Artificio vitioso*. Tertia de *Artificio liberali*. Quarta de *Artificio Mechanico*. Ad hos quatuor modos reducitur omne Artificium; Ipsum Artificium autem est *ens rationis*; potest tamen dici, quòd sit *ens reale*; quia anima deducit ipsum de potentia in actum in ipsa anima sustentatum. Et primò dicemus de prima Parte.

DE

**DE ARTIFICIO VIRTUOSO** DE-  
ducto per Primam Distinctionem.

2 **I**stud Caput intendimus applicare ad  
*Moralem justitiam*, & secundum il-  
lam applicationem potest applicari *Pruden-*  
*tia*, *Fortitudini*, & sic de alijs virtutibus.

3 *Justitia* est virtus, vel habitus, cum quo,  
vel sub quo homo justè agit. Ipsa virtus  
est factibilis à Deo primitivè, qui creat ip-  
sam in potentia; & homo est faciens in quan-  
tum deducit ipsam in actum, & hoc benè,  
& magnè, ut possit acquirere bonum, mag-  
num; verum &c. meritum, per bonum,  
magnum, verum &c. Intelligere, recolere,  
& velle.

4 *Justitia* est forma, cum qua homo se in-  
format ad bonum, magnum, & verum age-  
re; & hoc objectivè; Et materia justitiæ  
est subjectum ex quo ipsa colligit bonum,  
magnum, verum objectum justum; nimi-  
rùm justum est reddere unicuique, quòd  
suum est. Hoc reddere, vel agere est ac-  
tus justitiæ; quia agit in subjecto materia-  
liter scilicet; debeo tibi centum, & reddo  
tibi

tibi centum: vel sum Deo subditus, & reddo me Deo. Præceptum est, quòd diligas tantum tuum proximum sicut te ipsum; id, cum quo hoc facis, est materia, ut dando eleemosinas, & hujusmodi: Et dicitur materia; quia est ens extractum reale ex quo extrahuntur Phantasiæ; ut fiat justitia.

§ Finis justitiæ maximè est Deus, qui est ejus finalis causa; Secundarius autem finis est vivere in pace, ut homo habeat libertatem ad acquirendum meritum, cum justo *intelligere, recolere, & amare*; & hoc benè, magnè, verè, &c.

Diximus de *justitia* deducta per quatuor Causas, & individuata in Socrate, & Platone; & per ea, quæ dicta sunt, potest homo habere notitiam de sua essentia, & de sua operatione: Et talis doctrina est alta, & profunda, & per ipsam potest acquiri magnum meritum.

*DE ARTIFICIO VIRTUOSO DEDUCTO per secundam Distinctionem.*

1 **J**ustitia est *genus*; quia habet tres *species*, scilicet justitiam, quæ sit *erga*

*ergà Deum*, & justitiam, quæ sit *ergà proximum*, & justitiam, quæ sit *ergà se ipsum*. Prima est *suprema*; quia Deus simpliciter est Dominus, Secunda, & Tertia requirunt æqualitatem: Et ideò est justum, quòd homo objectando *Deum* habeat majus *intelligere*, *recolere*, & *amare*, quàm objectando *se ipsum*, vel *suum proximum*.

2 In Justitia est *Differentia*: quia est collecta ex pluribus habitibus, scilicet ex habitu bonitatis magnitudinis &c. quæ differunt; Etiam est *differentia* in justitia quoad materiam, & formam: quoad formam activè informando; quoad materiam verò passionando. Item est *differentia* in ea, cum diversimodè sit diffusa per tres prædictas species.

3 *Justitia* est *proprietas* acquisita per justum agere: Et sicut justitia est ens rationis; sic ipsa *proprietas* est ens rationis; Quæ *proprietas* est diffusa, & deducta in intelligere, quòd est proprius actus intellectus; & in amare, quòd est proprius actus voluntatis; & sic de recolere, quòd est proprius actus memoriæ.

4 *Justitia est Accidens*; quia est habitus justus: Et est accidens individuatum ex pluribus accidentibus, scilicet ex pluribus similitudinibus bonitatis, magnitudinis &c: Et justitia est magis bona, magis magna &c, secundum quod sua prædicta accidentia sunt magis bona, magna &c: Et hinc cognoscitur quomodo justitia crescat, & minuatur.

Diximus de *justitia* deducta per quinque Prædicabilia; Et per ea, quæ de ipsa dicta sunt, potest Artista hujus Artis habere notitiam de sua essentia, & de sua operatione, generatione, & privatione; & etiam de merito, quod cum ipsa acquiritur.

### *DE ARTIFICIO VIRTUOSO DEDUCTO per Tertiam Distinctionem.*

1 **J**USTITIA est Accidens progrediens à substantia per justum hominem, & sustentatum in ipsa substantia, & individuatum in quolibet justo homine; & substantia per justitiam est nobilitata, & individuata. Ratio hujus est; quia cum justitia

tendit



tendit ad finem, quare est; & talis justitia est ens rationis in anima, in qua est.

2 Justitia est *quanta* per *quantitatem*, per quam est continuata in subiecto, in quo est & est discreta, quoad potentias subiecti; nam habet unam quantitatem per *justum intelligere*, & aliam per *justum velle*, & sic de *justo recolere*. Ratio hujus est; quia sunt diversi actus progredientes è diversis potentijs; & illa quantitas est ens rationis, cum quo justitia est quanta; & sic de *justificare*, quod est quantum: Et illud quantum crescit, vel minuitur ad placitum hominis, secundum quòd crescunt, vel decrescunt actus potentiarum, scilicet *intelligere*, *amare*, & *recolere*; non quod justitia crescat, vel minuatur, cum sit indivisa virtus; sicut anima, quæ non crescit, nec minuitur, sed ejus actus crescunt, & decrescunt, scilicet *intelligere*, *amare*, & *recolere*.

3 Justitia habet plures quantitates; quia est bona per bonitatem, magna per magnitudinem, durabilis, per durationem &c; Et ejus qualitates crescunt, vel decrescunt, secundum quod illius actus, scilicet *justificare*,

ficare, augetur, vel minuitur; & tale crescere, vel minui est ens rationis, quòd ens non est sensibile, nec imaginabile.

4 In *justitia* sunt plures *relationes*; nam si est *justificare*, sequitur, quòd sit *justificatum*, & *justificans*; & è conversò; Et istæ relationes descendunt à relationibus innatorum principiorum, scilicet à *bonificativo bonificabili*, & *bonificare*, *magnificativo*, *magnificabili*, & *magnificare*; & sic de æqualitate mensurantis, & mensurati, proportionantis, & proportionati &c; Et tales *relationes* sunt constitutæ quoad ens rationis.

5 In *justitia* sunt *actiones*, & *passiones*; sicut iudex, qui agit *activando*, & *passionando*, quoad Actorem, & Reum; Vel sicut justus, qui justificat se *activando* per omnes suas potentias, nempe per intellectum, voluntatem, memoriam, sensum, & imaginationem, & patitur per *conscientiam*, *contritionem*, *confessionem*, & *satisfactionem* de commissis; *Justitia* autem non posset habere *actiones*, & *passiones*; nisi cum *actionibus*, & *passionibus* aliarum virtutum, cum sit connexa cum ipsis; Et tales *actio-*

nes,

nes, & passiones sunt considerabiles quoad ens rationis.

6 Justitia est virtuosus *habitus*, cum quo justus judicat se, & alium; Nam sicut Logicus sub *habitu* Logicæ syllogizat, & concludit: sic justus cum justitia judicat, & concludit; Et ille habitus est semper permanens in subjecto in quo est, posito, quòd homo dormiat, equitet &c; usquequo homo corrumpat talem *habitus*, & se habituet de *injuria*; & talis habitus est ens rationis, sicut justitia; Et *justitia*, & *injuria*, implicarent contradictionem, si simul starent in eodem subjecto.

7 Justitia est ens rationis *situatum* in potentijs animæ, quæ justè agunt objectivè, intelligendo, & volendo, & recolendo; quòd etiam potest dici de inferioribus potentijs: Sicut justus homo, qui justè videt, audit, gustat &c; & etiam justè imaginatur objectum justè imaginabile; & talis *situs* est ens rationis.

8 Dum justitia est in subjecto, est in *tempore*, & est in successivo tempore dum agens agit cum justitia in suis potentijs vigilando,

do, videlicet intelligendo, volendo, & recolendo, videndo, audiendo &c; Sed dum homo dormit, justitia non est in successivo tempore; sed in eodem instanti.

9 Justitia est in *loco*, scilicet in justo homine; sicut cappa, quæ est collocata in capto, inquantum est ejus habitus, & è converso; & justitia est in pluribus locis, quoad ens rationis, videlicet in prudentia, fortitudine &c; in adversa, & prospera fortuna, in tribulationibus &c. Et hoc est; quia est magnus habitus, & impetrat, vel procurat magnum meritum; Ideò benedictus est ille, qui sub habitu justitiæ agit, & permanet.

Diximus de justitia investigata per decem Prædicamenta; Et per ea, quæ de ipsa dicta sunt, potest homo cognoscere *justitiam*, & ejus essentiam, & operationem; Item *injuriam*, utpotè ei oppositam. Potest etiam Jurisperitus noscere, quid sit jus; & quid non jus: Potest etiam applicare ad istud Caput omnes Leges, & Canones; quia ad ipsum sunt applicabiles: Unde patet, quòd sit possibile reducere scientiam juris ad syllogismos, ut nos fecimus in Libro de

*Perf-*

*Perseitate, & Finalitate.*

**DE ARTIFICIO VITIOSO DEDUC-  
to per Primam Distinctionem.**

1 **A**rtificium vitiosum est peccatum deductum per hominem de potentia ad actum; Ipsum peccatum est positum in potentia, ideò quia homo est creatus de nihilo; & peccatum est nihil, cum sit contra esse, quòd intendimus declarare per *avaritiam*, quæ est peccatum; & quòd de ea dicetur, poterit etiam dici de *gula*, *luxuria*, & alijs peccatis.

2 Bonitas, magnitudo; & cætera innata principia hominis sunt rationes, quòd ipse agat benè, magnè &c. deducendo de *potentia* in *actum* Largitatem, quæ est virtus bona, magna &c: ipsa Largitate per Deum posita in *potentia* in creando; sed quando homo non est obediens, & respondens suis rationibus, quæ requirunt talem actum Largitatis, scilicet, bonitatis, magnitudinis; tunc pervertit se ad oppositum, & causat *avaritiam* effective: & sic est efficiens prop-

ter

ter hoc, quia deducit *avaritiam* de *potentia* ad *actum*, contra Largitatem, quæ *avaritia* est mala contra bonitatem, magnitudinem &c; & hoc objectivè, intelligendo, volendo, & recolendo contrarietatem contra Largitatem; & *avaritia* est ens rationis.

3 Avaritia est ens rationis difformatum per hominem, qui difformat actum bonitatis, magnitudinis &c. privando bonum, magnum &c intelligere, amare, & recollere contra Largitatem; & illa difformatio est forma inferiùs quoad sensum, & imaginationem; cum homo appetat delectationes, quas sentit per sensum, & imaginationem tantum, contra bonitatem, magnitudinem & alias superiores rationes in quibus Largitas est in potentia.

4 Materia *avaritia* subjectivè est potestas, quam homo habet in faciendo malum magnum, durabile &c. contra Largitatem, quæ materia, est reducere ad non esse hoc, quòd debet reducere ad esse; & quia illud, quòd dico, est difficile intellectu; ideò declaro illud per exemplum. Tenco lapidem in manu; & quia lapis, est per se gravis, &

ponderosus, appetit centrum descendendo; sed non potest descendere, quia ipsum retineo; sed si illum dimittam, descendit per se ipsum ad centrum: & ipse lapis cum sua gravitate causat suum descensum: à simili, homo descendit ad non esse in causando *avaritiam*, quæ est materia ipsi non esse, quæ materia est in potentia, antequam homo faciat peccatum, dum est habituatus de Largitate; & est in potentia, ideò, quia homo est creatus de nihilo, ad quòd nihil descendit, quando deducit *avaritiam* de potentia in actum; & talis materia, vel *avaritia* est ens rationis.

5 Deus est principaliter finalis causa Largitatis, ideò quia est largus, non avarus; homo verò est secundaria finalis causa illius, quia deducit eam objectivè de potentia in actum, intelligendo, amando, & recolendo Deum, & ejus Largitatem, propter magnum bonum &c sui ipsius, & sui proximi; sed avarus homo est finalis causa per oppositum quando non dat danda, & retinet non retinenda, & hoc contrà Deum, se ipsum & suum proximum; & talis causa finalis est

ens

ens rationis, cum quo *avaritia* descendit ad infernum.

Diximus de *avaritia* deducta per quatuor causas; Et per ea, quæ de ipsa dicta sunt, potest homo cognoscere essentiam *avaritia*, & suos actus.

**DE ARTIFICIO VITIOSO DEDUCTO per Secundam Distinctionem.**

1 **A**varitia est genus rationis, quòd sub se habet species; nam avarus habet avaritiam contrà Deum, contrà se ipsum, & suum proximum. Istæ tres avaritiæ differunt specie; sed conveniunt in genere avaritiæ. Quæ est contrà Deum, differt ab *avaritia*, quam avarus habet contrà se ipsum, & contra suum proximum; quia est peior, & privat majus bonum. Item secunda species est peior, quàm tertia; quia charitas incipit à se ipsa.

2 Avaritia, quam Petrus habet contrà se est *species* subalterna; quia potest habere avaritiam appetendo divitias alterius, vel appetendo mulierem: & sic de avaro Guilielmo &c.



3 Avaritia, quàm Petrus habet cum invidia est individuata in numero duobus modis, scilicet quoad concupiscentiam carnis, pecuniæ, vel honoris &c. quæ cum concupiscentijs differunt individuato numero.

4 In avaritia sunt plures *differentia*, ut superius visum est in Paragrapho de Genere, & Specie; etiam habet differentias per visum concupiscendo visibile objectum, & sic de concupiscentia auditus, gustus &c. Et omnes istæ differentia sunt per accidens, ex quibus anima causat ens rationis.

5 Avaritia est *proprietas* acquisita per hominem deducta de *potentia* in *actum*; quia enti, quòd non existit per se, sed per accidens, non est proprium esse; propter quam proprietatem habet inclinationem ad non esse; privando Largitatem, & causando avaritiam; & illa proprietates est ens rationis.

6 Avaritia est *accidens*, quòd non potest esse sine alijs accidentibus, scilicet sine *quantitate, qualitate, &c*; non dico accidentia, quæ oriuntur ab innatis principijs, quia Largitas est bona &c; & *avaritia* est privativus habitus distinctus contra positivum

ha-

habitu, qui privativus habitus est ideò genitus, quia se inclinatur ad non esse, scilicet ad peccatum, quòd est contrà esse.

Diximus de *avaritia* deducta per quinque Prædicabilia, cum quibus homo potest habere notitiam de ipsa, cum qua notitia potest homo eam destruere, & generare Largitatem.

*DE ARTIFICIO VITIOSO DEDUCTO per Tertiam Distinctionem.*

1 **A**varitia non est *substantia*, sed accidens ortum à substantia difformata quoad formam, & materiam, quæ cum Largitate erat formata, & hoc benè, magne &c.

2 Avaritia est *quanta* per accidens, & est tanta, quanta est privando Largitatem; Est etiam tanta, quantum deviat innata principia in substantia in qua sunt, contrà finem quare sunt. Item est tanta, quantum privat omnes alias virtutes, quæ non possunt esse sine Largitate; Et talis quantitas, quæ est ita mala, & magna non potest æstimari per aliquid.

3 Avaritia est de genere *qualitatis*, quæ qualitas est perversa forma accidentalis, quæ difformat accidentalem formam bonitatis, magnitudinis &c; ita quòd talis avarus homo dicatur qualis malus, qualis *magnus* &c.

4 Avarus mutat, vel pervertit *relationes* innatorum principiorum, & propter hoc non potest quiescere; & quò magis pervertit relationes, tantò magis est in pæna, & avarizando ( ut ita dicamus ) credit pervenire ad quietem; quòd declarabo per exemplum. Vegetativa habet quatuor proprietates, scilicet *appetitivam*, *retentivam*, *digestivam*, & *expulsivam*, & cum his agit naturalitèr in subjecto in quo est, & causat sanitatem; sed si proprietates transmutarentur; per talem transmutationem, perverteretur sanitas in infirmitatem, ita quòd vegetativa non appeteret appetenda, vel appeteret non appetenda, & retentiva retineret non retinenda &c. A simili avarus retinet non retinenda, & non dat danda, sed appetit oppositum, appetendo, & retinendo, quæ non sunt appetenda, nec retinenda; & sic quantò magis talia appetit, tantò

ma-

magis est avarus, & habituatus de pœna, & labore.

5 Avarus habet *actionem* in avarizando, & per consequens *passionem* in passionando; quia ejus actio est difformata; cum qua difformatione multiplicat difformatam passionem: sicut ebrius, qui quantò magis bibit forte vinum, tantò magis causat calorem, & siccitatem; & quia patitur, appetit quiescere multiplicando potum cum valdè forti, & sapido vino; & sic pervetit ens rationis in oppositum.

6 Avaritia est *habitus*; & quò magis avarus est habituatus de avaritia, eò magis removet se, & elongat à Largitate; anima vero rationabiliter appetit Largitatem, quia est bona, magna &c; & avarus sub habitu avaritiæ credit quòd anima appetat terrenas divitias, & multiplicat ens quantum potest, ut anima quiescat; anima autem per hoc non quiescit; quia talis multiplicatio non est de ejus genere, sed appetit divitias virtutum: & sic avarus sub habitu avaritiæ decipit se, & agit contrà se ipsum, & credit benè, & magnè &c. agere.

7 *Avaritia est situata* in Contrarietate contrà Concordantiam Largitatis; Et ideò, quantò magis est situata in contrarietate, tantò magis elongat se à concordantia Largitatis; & quia videtur ei, quòd concordantia sit contrà suam sensibilem, & imaginabilem bonitatem, reputans eam esse suam inimicam, & propter hoc pervertit ens rationis in ens irrationabile, appetendo per brutalem appetitum, contrà rationalem; & si quis vult eum docere, & dirigere ad bonum, reputat eum esse stultum, & deridet eum.

8 *Avarus est in omni tempore avarus*; Sicut cappatus, qui non est cappatus extrà cappam. Homo dum est avarus, supponit, quòd si ipse haberet mille libras, esset largus, & si acquirit mille libras sub habitu avaritiæ, ijs acquisitis, supponit, quòd si haberet adhuc duo millia, ipse fieret largus, & in infinitum; hoc autem accidit ei; quia suus appetitus hoc appetit sub habitu avaritiæ, & hoc in omni tempore.

9 *Avarus ubicumque sit, est avarus*, quia non est extrà habitum avaritiæ; & quandoque

doque vult habere honorem in dando dan-  
da, & quando dat, dolet, quia sub habitu  
avaritiæ hoc dat; & si non dat, & non ha-  
bet honorem; dolet, quia non dat: & sic  
est in omnibus *locis* objectivè in dolore,  
& pæna, videlicet intelligendo, diligendo,  
recolendo, videndo, audiendo &c, & divi-  
tiæ non sufficiunt ei, & sic est pauper, cu-  
jus paupertas ei sufficit; quia desiderat esse  
dives. Quis autem posset æstimare ejus mi-  
seriam, & indigentiam; Et si in hac vita  
non esset æstimabilis, multò minús in in-  
ferno, ubi in æternum erit habituatus de  
sua avaritia.

Diximus de *avaritia* deducta per decem  
Prædicamenta; Et per ea quæ de ipsa dixi-  
mus, potest Artista hujus Artis habere no-  
titiam de essentia avaritiæ, & de ejus gene-  
ratione, & corruptione: & ita de Largitate  
per oppositum.

**DE ARTIFICIO LIBERALI DE-**  
*ducto per Primam Distinctionem.*

**A**rtificium liberale dicitur ab arti-  
bus liberalibus, scilicet à *Gram-*

*matica, Logica &c.* Et dicitur Artificium; quia homo cum intellectu artificialiter facit scientiam. Istud Artificium liberale intendimus venari per *Primam Distinctionem*; & hoc sic. Et primò per sensum, & imaginationem, cum quibus cognoscit, quòd *omnis Triangulus habeat tres Angulos; & quòd totum sit majus sua parte: & quòd ignis sit calidus &c.* Postea ascendit, & facit scientiam suprà sensum, & imaginationem de objectis, quæ non sunt sensibilia, nec imaginabilia, sicut de Deo cognoscendo, quòd sit bonus, magnus &c; & sic de Angelo, & de Anima rationali; & talem scientiam, quam intellectus facit, facit ad consequentiam factionis Dei, cum ipse sit bonus, magnus &c. ut suprà; & ideò est Deus Causa efficiens primitivè ipsius scientiæ, & intellectus est causa efficiens secundariò; & etiam, quia intellectus non potest ascendere suprà se ad supremum objectum sine adjutorio illius; & hoc, quoad ens rationis; non autem quoad ens reale.

2 Artes liberales sunt *forme*, sub quibus intellectus est habituatus, & cum quibus

intelligit intelligibilia, & elongat se ab ignorantia, quòd facit, quia colligit species à realibus objectis, & in sua intelligibilitate, quæ est sua propria passio, facit illas species intelligibiles, ut cum ipsis generet scientiam.

3 Intellectus agens est intelligens tanquam forma in *materia*, voco materiam, scilicet spirituales intelligibilitatem ipsius intellectus, quæ est subjectum in quo intellectus agens causat scientias; & intellectus agens est intelligens, & intellectus passibilis, patiens & sunt Entia realia, & ab ijs oritur artificialiter scientia, quæ est ens rationis, scilicet Ars liberalis.

4 Omnis Ars liberalis est propter *finem*; & ideò movet *efficiens*, *formam*, & *materiam*, ut possit generare scientiam, quæ est finis; & dicitur finis, quia intellectus sine scientia non posset objectare intelligendo reale objectum, nec in ipso quiescere: Igitur scientia est finis hominis, vel intellectus; sed Deus maximè est *Causa finalis* scientiæ; cum homo, intellectus, & scientia sint propter Deum, scilicet, ut Deus cognoscatur.



Diximus de Artificio liberali deducto per quatuor Causas ; Et per ea, quæ diximus de Artificio, potest homo cognoscere quomodo artificialitè fiat, & causetur ens rationis.

*DE ARTIFICIO LIBERALI DEDUCTO per Secundam Distinctionem.*

I **H**omo facit scientiam cum intellectu, & intellectus non est *genus*, cum sit individuatus in homine, cujus est pars; sed habet generalia correlativa, scilicet *intellectivum*, *intelligibile*, & *intelligere*; Quæ sunt generalia; quia bonificativum, magnificativum &c. componuntur cum *intellectivo*; bonificabile, magnificabile &c. cum *intelligibili*; & bonificare, magnificare &c. cum *intelligere*; & ista tria correlativa sunt generalia ad faciendum scientias; nam intellectus, cum sit conjunctus cum bonificativo, magnificativo &c. attingit objecta universalis abstracta generalia; etiam *species*, & *individua* in sua propria passione, scilicet in intelligibili, conjuncto bonificabili magnificabili &c. In quo ipse intellectivus facit species intelligibiles; & hoc median-

diantibus bonificare, magnificare &c. conjunctis cum intrinseco intelligere, in quo acquiritur peregrinum intelligere; Et ideò, sicut martellum est generale ad omnes clavos, & ad omnia fabrilia; sic & multò magis intellectus est generalis ad omnia intelligibilia, ut faciat scientias, vel entia rationis.

2. In quantum intellectus est individuatus in homine, & in ipso *generalis potentia*, ut dictum est, & generat *species* objectivè ipsas intelligendo, primò per sensum, & imaginationem, postea intellectus intelligit eas, quæ nec sunt sensibiles, nec imaginabiles, de quibus artificialitèr facit scientiam.

3. In intellectu sunt *intrinsecæ differentia*, cum sit compositus cum alijs innatis principijs, quæ ab invicem *differunt*, & cum illis differentijs facit extrinsecas *differentias* objectivè, videlicet inter *genus, & species, inter species, & species, inter species, & individuum, inter individuum, & individuum, inter proprium, & proprium, inter accidens, & accidens*, quæ omnia facit, & potest facere in causando ens rationis artificialitèr.

4. Intellectus facit scientiam de *Proprietatibus*

*tatibus* cognoscendo, quòd *calor* v. g. sit propria qualitas ignis, *frigiditas*, aquæ, *opimitas*, Dei, *risibilitas*, hominis &c; Et hæc omnia facit cum intrinsecis *Proprietatibus*, quas habet; scilicet, cum *intelligibilitate*, quæ est sua propria passio, & cum *intelligere* quòd est suus proprius actus, & cum *intellectivitate*, quæ est sua propria actio.

5 In intellectu sunt *Accidentia*, scilicet spiritualis *quantitas*, cum qua est quantus; intrinseca *qualitas*, cum qua est qualis &c; & cum his intrinsecis accidentibus, & ab ipso inseparabilibus objectat extrinseca sustentata in alijs objectis, ex quibus causat scientias; sicut in igne, in quo cognoscit *quantitatem*, *qualitatem* &c.

Diximus de intellectu, & ostendimus modum cum quo se facit artificialem, faciendò artificialitèr scientias discurrendo per quinque Prædicabilia; Et si quis cadit in Opiniones, recurrat ad talem modum procedendi, cum quo potest eligere, quæ pars sit vera, & quæ falsa.

DE ARTIFICIO LIBERALI DE-  
ducto per Tertiam Distinctionem

1 **I**ntellectus facit artificialiter Prædicamentalem, scientiam; quia considerat *substantiam*, quæ est genus, sub quo considerat species, scilicet *corpoream*, & *incorpoream* substantiam, & sic de alijs; Scientiam autem, quam facit de substantia, disponit intellectus cum sensitiva, & imaginativa potentia, & suprâ sensum, & imaginationem considerat generalem substantiam, quæ non est sensibilis, nec imaginabilis, quia nunquam fuit in sensu; postea descendit ad subalternatas substantias, scilicet ad *animatam*, & *inanimatam* substantiam; deinde ad individuatas substantias, scilicet ad substantiam Socratis, & Platonis &c; & ideò facit intellectus per talem modum scientiam de substantia, vel de substantijs, & hoc artificialitèr.

2 Intellectus facit artificialiter scientiam de *quantitatibus*, considerando quantitatem lapidis, rosæ, equi, hominis, coeli, & de alijs quantitatibus causat unam generalem

quantitatem, ex qua extrahit particulares quantitates, cum quibus facit scientiam per lineam, Geometriæ, & per voces, musicæ &c.

3 Intellectus considerat *qualitates*, sicut in igne, calorem, in aère humiditatem &c; Idem facit de qualitatibus elementatorum, quas considerat, sicut in pipere calidam, & siccam complexionem, in sanguine humidam, & calidam &c; & per hoc facit se Physicum causando Medicinalem scientiam.

4 Intellectus considerat *relationes*, & proinde *antecedens*, & *consequens*; nam si homo est, animal est: si Dominus est, servus est: si justus est; justitia est: & si justitia est, bonitas est; quia justitia non potest esse extrà bonitatem, & sic de alijs; Intellectus autem sic considerando *relationes*, facit se Juristam, & causat scientiam Juris, & potest considerare *materiam Juris* cum relationibus; & se facere Naturalem (hoc est Physicum) ut artificialiter faciat naturalem scientiam, quæ est ens rationis.

5 Intellectus facit scientiam de Prædicamentibus *actionibus*, & *passionibus*, confi-

de-

derando, quòd ignis habet *actionem* suprà àèrem, dando ei suum calorem, & aèr habeat *passionem* sub igne; & sic de aqua, in qua ignis agit calefaciendo ipsam; & sic de Domino, qui agit suprà servum, & de viva potentia agente suprà objectum: Igitur intellectus intelligendo ista, facit scientiam de *actionibus* & *passionibus* in subjecto in quo sunt; quæ scientia est ens rationis.

6 Intellectus cognoscit, quòd cappatus sit *habituatus* de cappa, & hoc artificialitèr.

Cum tali habitu qui est sensibilis, & imaginabilis ascendit ad *morales habitus*, sicut ad Grammaticam, quæ est habitus, de quo Grammaticus est habituatus: & ad Logicam, de qua Logicus est habituatus &c; & tunc facit scientiam de illis habitibus, sub quibus se facit Artistam; nam sub *habitu* Logicæ, agit de Logica, & sub *habitu* Rethoricæ, agit de Rethorica &c; & tale agere non est nisi ratiocinari, quòd est ens rationis artificialitèr acquisitum.

7 Intellectus facit per sensibilem, & imaginabilem *situm* superiorem *situm*, qui non est sensibilis, nec imaginabilis, ex quibus

artificialitèr facit scientiam, cognoscendo illos *situs*; sicut habitus in Grammatico, qui est Logicus, Rethoricus, in quo unus habitus est situatus in alio: & sic de bonitate, magnitudine, quæ sunt innata principia, in quibus, unum principium est situatū in alio.

8 Intellectus facit scientiam de *tempore* per sensum & imaginationem, cum quibus objectivè attingit mobilia entia; postea ascendit, & cognoscit, quòd *tempus* sit in successivo motu causando differentias inter unum *nunc*, & *aliud*, inter horam, & horam, inter diem, & noctem, inter diem, & septimanam &c. Omnia ista acquirit per intelligere, & hoc artificialitèr mutando se de sensibili, & imaginabili ad intelligendum essentiam *temporis*, & successione ejus, quam habet in motu, quæ essentia non est sensibilis, nec imaginabilis, nec per consequens successio, quam habet in motu.

9 Intellectus facit scientiam de *Loco*, & hoc primò per sensum, & imaginationem, quia est sensibile, & imaginabile, quòd homo sit in cubiculo, & cubiculum in aère &c; per quòd transit, & considerat, quòd

homo

homo fit in loco, qui est una de suis intrinsicis partibus cum qua est collocatus in se ipso, sicut est in *intrinseca quantitate*, cum qua est quantus, & sic de *qualitate* &c; Omnia ista facit artificialitèr acquirendo scientiam.

10 Cognitio, quam intellectus habet de artificio liberali per decem Prædicamenta, est scientia acquisita, & ens rationis, cum quo artificio intellectus acquirit liberales artes, & scientias; & ideò si oriatur dubium, vel opinio, vel alteratio in Disputatione, recurrendum est ad modum agendi hujus Capitis; & sic erit facile discernere verum à falso; nam ista doctrina est Generalis, & per illam possunt facilè acquiri aliæ scientiæ, quia *particulare* cognoscitur per *universale*.

*DE ARTIFICIO MECHANICO DEDUCTO per Primam Distinctionem.*

1 **A**rtificium Mechanicum intendimus deducere per Primam Distinctionem, venando quid sit ens rationis;



& hoc sic: Carpentator, qui facit arcam dicitur *Causa efficiens* illius, quia deducit illam de potentia in actum, & si facit magnam arcam, est magna *Causa efficiens*, & per consequens melior, & potentior, quàm si eam facit parvam; & si eam facit ad custodiendum argentum in ea, est melior, major, & potentior efficiens *Causa*; si verò eam facit, ut conservetur aurum in ea, est adhuc magis bonus, & magnus efficiens; posito autem, quòd faciat lignum de quo facit arcam, ex nihilo, & quòd in eodem instanti quo facit lignum, ponat arcam in potentia in eo, & ipsam positam in potentia successivè deducat in actum, faciendo illam successionem, & illum motum; numquid talis efficiens erit major? Et hoc dico ideò, quia Deus est bonus, magnus, potens super omnes causas; ideò est ipsa *Causa efficiens* arcæ, & ligni, de quo est arca, & omnium, quæ conducunt ad faciendum arcam, sicut dolabri hominis &c; cum sua bonitas sit *Causa omnium bonitatum*, sua magnitudo, *causa omnium magnitudinum*, sua potestas, *Causa omnium potestatum* &c: Igitur sequi-

sequitur, quòd Deus sit *Causa efficiens* entis rationis, cum quo *faberlignarius* est *mechanicus* in faciendo arcam artificialitèr.

2 *Carpentarius* facit arcam de ligno, & lignum est corpus compositum ex *forma*, & *materia*, & etiam ex accidentibus; & sic *Carpentarius* deducit arcam, quæ erat in *potentia* in ligno *formaliter*, *materialitèr*, & *accidentalitèr*, in *actum*, sicut erat in *potentia* & hoc artificialitèr, primò cum ente rationis, *objectivè*, postea cum ligno, cum dolabro, manibus &c *subjectivè*, quæ sunt entia realia.

3 *Carpentarius* deducit arcam de *potentia* in *actum* propter *finem*, & finis est ut conservetur in arca aliquid ad usum, & obsequium hominis, qui finis est in *positivo gradu*; est autem alius finis in *comparativo gradu*, ut homo serviat Deo cum illis quæ servantur in arca; est adhuc alius finis superior in *superlativo gradu*, scilicet Deus qui est *causa finalis* omnium entium, & finium; ideo sicut *divinus finis* ambit omnes fines *causando*: sic *divinum facere* ambit omnes *factiones*; & hoc patet per hoc exemplum. In *divina bonitate* est *bonificare*,

fic in superlativo gradu, sicut *bonificabile*, & *bonificans*, quia sunt idem per essentiam substantiam, & naturam; Unde sequitur, quòd divinum *bonificare* sit Causa efficiens causando illud facere, cum quo Carpentarius facit arcam, sicut divinus finis causat finem propter quem Carpentator facit arcam; & hoc tanquam verum, non potest intellectus negare, quoad ens rationis.

Diximus de Artificio Mechanico deducto per quatuor Causas, & hoc idem potest dici de fabro faciente domum, pannum &c; quòd dictum est de Carpentario.

## DE ARTIFICIO MECHANICO Deducto per Secundam Distinctionem.

**A**Rs Mechanica est *genus*, & dicitur *genus*, quia sub se habet plures species, sicut Artem fabrilem, Artem navigandi, scribendi &c; Et illud genus est ens rationis, & sic de suis speciebus, quòd genus deducitur de potentia in actum artificialitèr per hominem, scilicet intelligendo, volendo, & recolendo, navigando, videndo,

dendo, tangendo, &c; & hoc *objectivè*; *subjectivè* autem est ens reale in quo, & de quo homo agit artificialiter.

2 In Arte Mechanica sunt *differentiæ*, cum quibus artifex distinguit inter unam Artem, & aliam, sicut inter artem navigandi, & artem bellandi, &c; & artifex *objectivè* primo acquirit *differentias* per animam, & imaginationem, & etiam per sensum; postea secundario deducit reales *differentias subjectivè* de potentia in actu, scilicet arcam, litteram &c; *differentiæ* autem, quas facit *objectivè* sunt entia rationabilia, & *differentiæ* quas facit *subjectivè* sunt entia realia; & omnia ista sunt artificiata, & extra animam, & naturam, mota.

3 In Arte Mechanica sunt *Proprietates*, cum quibus Mechanicus propriè est Mechanicus; sicut victoria in bello est propria Causa; & in arte navigandi, lucrum, & in domo, habitatio &c; & tales proprietates in arte Mechanica sunt acquisitæ per ens rationis.

4 In Arte Mechanica sunt *Accidentia*, sine quibus Mechanicus non potest agere, ut  
figura

figura arcæ; nam nisi Mechanicus objectaret figuram imaginando, non posset ipsam arcam de potentia deducere in actum, & sic de angulis, circulis, motu, quantitate, qualitate &c; omnia ista accidentia sunt necessaria in arte Mechanica, & sunt deducta quoad ens rationis in subjecto, in quo sunt.

Diximus de Artificio Mechanico constituto quoad ens rationis secundam quinque *Predicabilia*.

## DE ARTIFICIO MECHANICO *Deducto per Tertiam Distinctionem.*

1 **D**Omus, vel navis &c. sunt *Predicamentales substantia*, & dicuntur prædicamentales, quia artificialiter sunt factæ per ens rationis; lapides, & ligna &c. sunt substantiæ reales, & naturales domus; quia sunt extrâ animam, & sunt entia individuata.

2 *Quantitas* domus, vel navis, est quantitas individuata artificiata, quia non potest esse extrâ animam, & est abstracta per intellectum, & quantitatem ex naturalibus

quantitatibus, scilicet ex quantitate lapidum, & lignorum, ex quibus domus est constituta; & talis quantitas sic est individuata quoad ens rationis *objectivè*, sicut est quantitas realis *subjectivè*.

3 Mechanicus causat artificiales *qualitates* sicut quando dicitur: navis est pulchra bona, magna &c; quæ sunt similes naturalibus *qualitatibus*; & mechanicus sic est causa finalis *qualitatum*, sicut est efficiens; Unde sequitur quod Deus sit causa efficiens, & finalis *qualitatum*, & multò magis, quam mechanicus quia est causa efficiens, & finalis naturalium *qualitatum*; aliàs non esset magis causa quàm mechanicus, quòd est impossibile.

4 Mechanicus cum *relationibus* factis artificialitèr utitur suo officio, scilicet arca est *relata* ad conservandum aliquid, & navis ad lucrum &c; & sine, talibus *relationibus* non esset agens propter finem; hoc etiam potest dici scilicet, quòd si est mechanicus, est Ars mechanica; & si est bonus, magnus &c. mechanicus, est bonum, magnum &c. opus mechanicum cum *relativè* se habeant.

5 In Arte Mechanica sunt *actiones* & *passiones*, scilicet mechanicus habet *actionem* objectando scripturam, ipsam intelligendo, volendo, recolendo, amando, & imaginando, & potentia habeat *actiones* objectando, & etiam *passiones*, quia homo eas movet ad objectum, & tales *actiones*, & *passiones* possunt dupliciter considerari, scilicet *naturaliter*, & *artificialiter*; dico naturaliter, quia homo naturaliter movet ipsas ad objectum, artificialiter verò, quia artificialiter acquirit objectum, quod per istud exemplum declaro. Scriptor cum potentia animæ, & imaginatione movet manum, & cum manu movet pennam, & cum penna movet atramentum, cum atramento figurat literas in charta scripta; motus manus est naturalis, & artificialis; motus pennæ verò & atramenti & literarum est simpliciter artificium: & sic de *actionibus*, & *passionibus* quas habent.

6 Mechanicus artificiat *habitum*, scilicet cappam cappati, & cappatus artificialiter est habituatus, quòd si intelligat, diligat recolat, & imaginetur illum habitum facit

id

id naturalitèr; & in hoc loco apparet quomodò artificiatus habitus *subjectivè*, & *objectivè* habeat magnam propinquitatem cum naturali habitu.

7 *Situs* est constitutus per artificem, scilicet *situs* Civitatis, arcæ &c, per quem *situm* artifex est constitutus tanquam agens propter finem, & naturalis *situs* est ei exemplar, scilicet *situs* lapidis, ligni &c. sine quibus mechanicus se non posset facere mechanicum, nec mechanicè agere propter finem;

8 Castrum est artificium in *tempore* successivè deductum de potentia in actum per mechanicum, in qua successione castrum est in *fieri*, & quando est in *facto esse*, est extrà successionem mechanici, remanet tamen in successione temporis naturalitèr, quia antiquatur per horas, dies, & annos.

9 Mechanicus mechanificat in *locis*, & cum *locis* *subjectivè*, & *objectivè*. *Subjectivè* scilicet in domo, navi, &c; multiplicando artificiatum *locum*; *objectivè* verò agit cum locis, scilicet cum potentijs animæ, & cum imaginatione, & sensu scili-



cet cum visu, auditu, & affatu; aliàs non posset esse mechanicus, nec artificium posset esse factum.

Diximus de Artificio deducto per decem Prædicamenta, & per ea, quæ dicta sunt in hoc Cap. fieri potest responsio de omni quæstione facta circa mechanica.

Finita est Quinta Distinctio, quæ est de supradictis individuis, & declaratum est, per quem modum sit deducta quoad ens rationis, & quoad ens reale; quæ declaratio est valde alta, & profunda, & etiam magna, quia multa continet, & cum ipsa possunt solvi multa dubia, & fieri veræ Conclusiones, & destrui Opiniones ex ratione.

### *DISTINCTIO SEXTA DE QUÆSTIONIBUS.*

**I**sta Distinctio est de Quæstionibus, quas quæstiones faciemus duobus modis. Primò solvendo ipsas; secundò transmittendo earum Solutiones ad textum hujus libri, ubi Solutio erit implicata, & hoc faciemus brevitatis causa.

Antequam veniamus ad quaestiones discursas, faciemus decem Quaestiones.

1 Prima Quaestio. *Utrum haec scientia sit Ars?* Respondendum est affirmativè, ut patet per *quartam, & quintam Distinctionem*, ubi intellectus est artificiatus ad inveniendum veras Conclusiones per *Primam, Secundam, & Tertiam, Distinctionem*.

2 Secunda Quaestio. *Utrum haec scientia sit vera?* Respondendum est affirmativè. Quia est constituta de veris principijs, scilicet de bonitate, magnitudine &c. Et veritas illius elucescit per hoc, quia, *quarta, & quinta Distinctio* deducuntur per *Primam, Secundam, & Tertiam, Distinctionem*.

3 Tertia Quaestio: *Utrum sit Generalis?* Respondendum est affirmativè, quia ejus principia sunt generalia, scilicet bonitas, magnitudo &c; & quia *Secunda, & Tertia Distinctio* sunt ex generalibus principijs. Itè *Quarta, & Quinta Distinctio* habet generalem discursum per *Primam, Secundam, & Tertiam Distinctionem*.

4 Quarta Quaestio. *Utrum sit necessaria?* Respondendum est affirmativè. Quia est ex

primitivis veris, & necessarijs principijs. Item quia humanus intellectus totus est constitutus in Opinionibus; unde sequitur, quòd indigeat ista scientia, ut fugiat Opiniones, & faciat veras, & claras Conclusiones.

5 Quinta Quæstio. Utrum sit utilis? Respondendum est affirmativè Quia intellectus est valdè illuminatus per ipsam, sub quo lumine destruit ignorantiam, quæ est ejus inimica; & parat viam voluntati, & memoriæ, ut quiescat in amabili, & recobili objecto, & hoc benè, magnè &c.

6 Sexta Quæstio. Utrum sit facilis scientia? Respondendum est affirmativè. Quia quantò magis intellectus discurrit artificialitèr, tantò magis facilè attingit desideratum objectum.

7 Septima Quæstio. Utrum sit labilis à memoria? Respondendum est negativè. Quia procedit discurrendo per *quatuor Causas*, & per *quinque Prædicabilia*, & per *decem Prædicamenta*; etiam quidquid est deductum in *Quarta*, & *Quinta Distinctione* tractatur per Primam, Secundam, & Ter-

tiam

tiam Distinctionem.

8 Octava Quæstio: Utrum sit alta, & profunda? Respondendum est affirmativè; Quia deducit Deum per discursum altissimè, & subtilissimè, per *Primam, Secundam, & Tertiam Distinctionem*. Item quia intellectus discurrit profundè per *Quartam, & Quintam Distinctionem*.

9 Nona Quæstio: Utrum sit Prædicamentalis? Respondendum est affirmativè. Quia *Prima, Secunda, & Tertia Distinctio* sunt subjecta ad omnia Prædicabilia, sicut, & *Quarta, & Quinta*.

10 Decima Quæstio: Utrum sit subtilis? Respondendum est affirmativè. Quia omnis subtilitas intellectus in ipsa consistit, quia subtiliter tradit *Primam, Secundam, & Tertiam Distinctionem*: & etiam subtilitèr deducit *Quartam, & Quintam* per alias tres præcedentes.

Diximus de decem Quæstionibus: & per ea quæ de ipsis diximus, potest Artista hujus Artis cognoscere, vel habitare totum processum hujus Artis. Quæstiones autem, quas intendimus facere sunt de *Distinctionibus*

hujus

hujus Artis: & primò de prima.

**DE QVÆSTIONIBVS PRIMÆ**  
*Distinctionis.*

1 **V**trum sit possibile, quòd si aliquod ens deducitur in non esse, ens, quòd erat *in potentia*, vel in *actù*, in quo non esse, non est in potentia, nec in *actù*: aliquod ens: etiã deducat de non esse in esse, quòd non erat in potentia, nec in actù? Respondendum, quòd sic. Aliàs ens privativum corrumpendo esset altius, & potentius, quàm ens positivum producendo; quòd est impossibile. Vade ad Cap. de Causa efficiente in Prima Distinct. fol. 3.

2 *Vtrum Deus deducat de potentia in actum rosam, quæ est in rosario, effectivè? Respondendum est affirmativè. Nam si potuit deducere de non esse in esse ipsum rosarium, benè sequitur, quòd possit deducere rosam ex rosario successivè.*

3 *Vtrum numerus mortui Socratis sit simpliciter privatus? Respondendum est affirmativè quoad se ipsum, non quoad divinum intel-*

intellectum objectivè, qui ita perfectè ipsum objectat, sicut quando erat vivus, cum divinum intelligere sit æternum, & immutabile.

4 *Vtrum divinum posse, & divinum velle, æque se habeant ad numerum mortui Socratis, sicut divinum intelligere?* Respondendum est affirmativè. Cum unum possit prædicari de alio.

5 *Vtrum detur prima forma denudata ab omni materia?* Solutio in Prima Dist. in Cap. de prima forma fol. 7.

6 *Vtrum aliquid sit in intellectu, quia fuerit in sensu.* Respondendum est affirmativè. Secundum Primam Distinct. in Cap. de Prima forma. fol. 7.

7 *Vtrum Natura requirat, tantum quòd Particularis forma sit de Universali forma, quantum Particularis materia, de Universali materia?* Respondendum est quòd sic Aliàs esse conveniret magis materiæ, quàm formæ, quòd est impossibile.

8 *Vtrum forma sit de potentia materiæ?* Respondendum est negativè. Quia est impossibile, quòd aliquod ens sit in actu existens

tens de aliquo ante simpliciter in potentia:  
Et vade ad Solutiones, quas superius dedimus de forma. fol. 7.

9 *Vtrum detur materia innata primitiva in essentia bonitatis?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de materia in Prima Dist. fol. 8.

10 *Vtrum prima materia sit composita?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de materia Prima Dist. fol. 9.

11 *Vtrum detur ultimus finis?* Respondendum est affirmativè. Secundum Primam Dist. in Cap. de Fine fol. 10.

12 *Vtrum ultimus finis sit Causa efficiens omnium aliorum finium?* Respondendum est affirmativè; Aliàs esset humanus intellectus causa efficiens omnium scientiarum; & Deus non, quòd est impossibile. Et vade ad Cap. de Fine in Prima Dist. fol. 10.

13 *Vtrum Artista faciat altiorem finem objectivè, quàm Mechanicus?* Respondendum est affirmativè. Quia Artista magis participat cum intellectu, quàm mechanicus, cujus finis est per sensum, & imaginationem.

DE QUÆSTIONIBVS SECUN-  
da Distinctionibus.

1 **V** Trúm generalissimum ens, sit ens reale, vel ens rationis? Respondendum est, quòd sit ens rationis tantum. Et vade ad Cap. de Genere in Secunda Dist. fol. 11.

2 *Vtrum Subalternum corpus sit genus reale?* Respondendum est affirmativè. Aliter Differentia non posset realiter distinguere inter corpus animatum, & inanimatum, quæ distinctio est realis.

3 *Quæritur Qua differentia sit inter genus reale, & genus rationis?* Respondendum est: quòd genus reale est compositio principiorum innatorum generalium realium; & genus rationis est aggregatio similitudinum principiorum innatorum, per animam, ut anima possit habere notitiã de reali genere.

4 *Vtrum subalternatum animal sit ens reale?* Respondendum est affirmativè. Aliàs homo, equus &c. non participarent in vita per potentiam sensitivam generalem. Et vade ad Cap. de Genere in Secunda Dist.



5 Quæritur. *Quomodo est genus diffusum, & contractum per suas species?* Respondendum est, vade ad Secundam Dist. in Cap. de Specie fol. 14.

6 *Vtrum Species sint entia realia?* Respondendum est affirmativè. Aliàs non esset medium inter universale, & individuum, nec contractio, quòd est impossibile. Et vade ad Secundam Dist. in Cap. de specie fol. 15.

7 Quæritur. *Vtrum differentia, & genus sint ens reale?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de Differentia, in Secunda Dist. fol. 16.

8 *Quomodo distinguit differentia genus à genere, genus ab specie, speciem ab individuo, individuum ab individuo?* Respondendum est per descensum ab innatis principijs, quæ differunt à generibus, speciebus, & individuis.

9 *Vtrum Proprietas in communi sit ens reale?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de Proprietate in Secunda Dist. fol. 17.

10 *Vtrum in innatis principijs, correlati-*

*va*

*va sint reales proprietates?* Respondendum est affirmativè. Aliter esset figmentum, & generaretur vacuitas naturæ, in innatis principijs, quòd est impossibile.

11 *Vtrum generalia accidentia sint entia realia?* Solutio: Vade ad Cap. de Accidente, & responsio est affirmativa in Secunda Dist. fol. 19.

12 *Vtrum accidentia entis rationis sint realia?* Respondendum est affirmativè, & in anima tantum.

## DE QVÆSTIONIBVS TERTIÆ Distinctionis.

1 **V**trum Prædicamentalis substantia sit subjectivè ens reale, & objectivè ens rationis? Respondendum est, quòd sic: Et vade ad Cap. de substantia Secundæ Dist. fol. 20.

2 *Vtrum substantia sit composita?* Respondendum est affirmativè: Et vade ad Cap. de substantia Tertix Dist. fol. 20.

3 *Quomodo Quantitas oriatur à substantia?* Respondendum est per Cap. de Quantitate

titate Tertiæ Distinct. fol. 21.

4 *Vtrum Quantitas sit de essentia substantia?* Respondendum est negativè: Et vade ad Cap. de Quantitate Tertiæ Distinct. fol. 21.

5 *Vtrum in substantia mundi detur una generalis quantitas?* Respondendum est affirmativè. Aliàs non esset continuatio inter genera, species, inter species, & individua, & perderetur continuus motus in natura, & consequenter generalis successio, quòd est impossibile.

6 *Vtrum Qualitas oriatur per accidens ex innatis principijs?* Respondendum est affirmativè: Et vade ad Cap. de Qualitate Tertiæ Dist. fol. 22.

7 *Vtrum innata principia possint simul participare cum innatis qualitatibus?* Vade ad Cap. de Qualitate fol. 22.

8 *Vtrum innata Qualitates sint proprietates?* Respondendum est affirmativè: Et vade ad Cap. de Qualitate Tertiæ Distinct. fol. 22.

9 *Quales sint primitivæ relationes?* Respondendum est per Cap. de Relatione

Ter-

Tertiæ Distinct. fol. 22.

10 *Vtrum innata principia sine realibus relationibus essent vacua, & sine natura?*

Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de Relatione Tertiæ Dist. fol. 22.

11 *Quomodo Prædicamentalis actio sit ens reale, & ens rationis?* Solatio in Cap. de Actione Tertiæ Dist. fol. 23.

12 *Vtrum accidentalis actio oriatur á substantiali actione?* Respondendum est, affirmativè. Quia sua similitudo tanquam figura &c. similitudo substantialis formæ, in subjecto in quo est.

13 *Quomodo oritur accidentalis passio á substantiali?* Respondendum est per Cap. de Passione fol. 24.

14 *Quomodo generatur habitus?* Respondendum est per Cap. de habitu fol. 24.

15 *Vtrum detur generalis situs?* Respondendum est affirmativè: Et vade ad Cap. de Situ. fol. 25.

16 *Quomodo oritur tempus ab innatis principijs?* Respondendum est per Cap. de Tempore fol. 25.

17 *Quæ sit essentia Temporis?* Respon-

dendum est per Cap. de Tempore fol. 25.

18 *Quomodo est tempus per successivum motum?* Respondendum est per Cap. de Tempore fol. 25.

19 *Vnde oritur universalis locus?* Respondendum est per Cap. de loco. fol. 26.

20 *Vtrum Locus sit in loco?* Respondendum est affirmativè per accidens. Et vade ad Cap. de loco fol. 26.

## DE QUÆSTIONIBVS DEI PER Primam Distinctionem.

1 **V**trum rationes Dei sint Cause efficièntes? Respondendum est per Causam efficientem Quartæ Dist. fol. 27.

2 *Vtrum Deus sit ens magis agens propter finem, posito quod sit Causa efficiens?* Respondendum est affirmativè: Et vade ad Causam Efficientem. fol. 28.

3 *Vtrum Deus sit Generalis Causa efficiens?* Respondendum est affirmativè. Solutio ibidem.

4 *Quomodo forma Dei est formalissima Causa?* Respondendum est per Causam formalem.

5 *Quare Deus nan est Causa materialis?*  
Respondendum est per Causam materialem. fol. 29. N. 6.

6 *Vtrúm Deus sit Causa finalis simpliciter, posito, quód nihil extra se intelligat?* Respondendum est negativè. Quia suæ relationes hoc non possent sustinere.

7 *Vtrúm Deus sit simpliciter Causa finalis, posito, quód non posset facere Angelum, Cælum, & motum ejus?* Respondendum est negativè. Nam sicut deficeret in posse; sic deficeret in intelligere, velle, & memorari, bonificare &c.

## DE QVÆSTIONIBVS DEI PER Secundam Distinctionem.

1 **V** *Trúm in Deo sua bonitas, magnitudo &c. habeant tam generalem potestatem, sicut intellectus, & voluntas illius?* Respondendum est affirmativè; aliàs esset divina potestas divisa, quòd est impossibile: Et vade ad Secundam Dist. fol. 30. & 31.

2 *Vtrúm in Correlatis Divinae bonitatis,*

& magnitudinis, sit realis *Distinctio*? Respondendum est affirmativè. Aliàs ficto modo ens rationis esset superiùs, & relatio Correlatorum esset ens reale inferiùs, quòd est impossibile. Et vade ad *Distinctionem de Deo deducto per Secundam Distinct.* ibidem.

3 *Vtrùm divina Pluralitas, scilicet Trinitas personarum sit aequè Causa plurium entium: sicut divina Unitas est Causa numerorum individuorum?* Respondendum est affirmativè, quia in Deo Unitas, & pluralitas sunt idem per essentiam, substantiam, & naturam. Solutio. fol. 32. N. 5.

4 *Vtrùm sit possibile, quòd in essentia Dei sint plures Paternitates, Filiationes, & Spirations?* Respondendum est negativè. Quia si essent plures paternitates, una paternitas limitaret aliam: & sic esset destructa singularis infinitas paternitatis, quòd est impossibile: & sic de singulari infinitate Filiationis, & Spirationis. Et vade ad Cap. de Proprietate Dei fol. 33.

5 *Quare in Deo non potest esse accidens?* Respondendum est per Cap. de Accidente

in Quarta Distinct. fol. 34.

6 Posito, quod Deus faciat, quod non fuit, Vtrum sit mutabilis? Respondendum est quod non. Solutio in Secunda Dist.

*DE QUÆSTIONIBVS DEI PER  
Tertiam Distinctionem.*

2 **Q**uadam est differentia inter divinum cognoscere, & nostrum cognoscere? Respondendum est, per hoc differunt, quia divinum cognoscere est ens reale, & nostrum cognoscere est ens rationis, & vade &c. Cap. de substantia Quarta Dist. fol. 35.

2 Cum Deus non sit quantitas, queritur, Vtrum possit impediri per aliquod ens quantum? Respondendum est negativè, & patet in Paragrapho de Quantitate in Quarta Distinct. fol. 35.

3 Vtrum Deus ita se objectet bonificando, magnificando &c. sicut intelligendo, & volendo? Respondendum est affirmativè; aliàs non esset sic qualis realitèr quoad suam bonitatem, magnitudinem &c. sicut quoad suum



suum intellectum , & voluntatem: Et vade ad paragrafum de *Qualitate* Quartæ Dist. fol. 36.

4 *Vtrum in Deo sua relatio divinam rationum sine distinctione correlativorum sit permanens in superlativo gradu?* Respondendum est, negativè. Quia Deus objectaret relationes ficto modo , & non realiter , quòd est impossibile. Et vade ad Paragrafum de *Relatione* Quartæ Dist. fol. 36.

5 *Vtrum actio Dei sit Deus?* Respondendum est affirmativè , per Paragrafum de *Actione* in Quarta Dist. fol. 36.

6 *Vtrum in essentia Dei sit propria passio?* Respondendum est affirmativè. Aliàs non esset in ipso propria paternitas , quòd est impossibile.

7 *Vtrum essentia Dei transcendat in passionando quidquid est extrá illam?* Respondendum est affirmativè. Secundum Paragrafum de *Passione* fol. 37.

8 *Vtrum Habitus sub quo homo facit peccatum , sit datus , vel factus á Deo?* Respondendum est negativè. Aliàs divina bonitas non esset simpliciter finalis Causa , quòd

quòd est impossibile.

9 *Cum rationes Dei prædicentur in illo ad invicem, una de alia, Vtrum una sit situata in alia?* Respondendum est negativè. Aliàs esset una finita in alia, quòd est impossibile, cum sint simul una, & eadem infinita essentia.

10 *Vtrum Deus sit Causa efficiens temporis, & motus?* Respondendum est affirmativè. Secundum Paragrafum de Tempore in Quarta Dist. fol. 38.

11 *Vtrum Deus sit collocatus in loco?* Respondendum est: Est in loco tanquam Causa efficiens & finalis, ratione cujus non potest esse collocatus: Et vade ad Paragrafum de loco in Quarta Dist. fol. 39.

Diximus de Quæstionibus Dei discurrendo per Primam, Secundam, &

Tertiam, Dist. Et per ea, quæ

de ipsis diximus potest Artista

hujus Artis Solvere aliàs

peregrinas quæstiones

tenendo illũ modum,

quem tenui-

mus.

# DE QUÆSTIONIBVS ANGELI

*per Primam Distinctionem.*

1 **V**trum Deus sit *Causa efficiens Angelorum*? Respondendum est affirmative. Ut patet in Paragrafo de *Causa efficiente*, Primæ Partis Quintæ Distinctionis fol. 40.

2 *Vtrum Angelus peccaverit sub libero arbitrio à Deo factò*? Respondendum est distinguendo; Quia liberum arbitrium intelligitur duobus modis. Nam primò est à Deo factum propter hoc, ut bonus Angelus intelligat Deum; Secundò non est à Deo factum propter hoc, quia malignus Angelus fuit contrà Deum, quando per malignum Angelum fuit factum inclinando se ad non esse, ex quo fuerat deductus.

3 *Vtrum forma Angeli sit effectus individuatus*? Respondendum est affirmative. In Paragrafo, *Angelica forma* fol. 41.

4 *Vtrum Angelus posset esse individuatus sine propria materia spiritali sibi coëssentiali*? Respondendum est negative; Quia sine propria materia non esset subjectum recep-

tibile

tibile passionis: Et vade ad Paragrafum de materia Angeli. fol. 41.

5 *Vtrum Angelus sit suusmet finis?* Respondendum est affirmativè, posito, quòd Deus non esset ejus Causa efficiens; nam sic, esset Deus defectivus existendo Causa finalis Angeli, sicut esset deficiens in non existendo Causa efficiens ejusdem: Et vade ad Paragrafum de fine Angeli. fol. 42.

## DE QVÆSTIONIBVS ANGELI per Secundam Distinctionem.

1 *Vtrum bonitas unius Angeli, & bonitas alterius Angeli sint naturaliter sub una generali bonitate & sic de alijs innatis principijs?* Respondendum est negativè. Quia si sic, essent Angeli generabiles, & corruptibiles, & nullus Angelus esset suamet species, quòd est impossibile; Et vade ad Paragrafum de Genere, & Specie Angeli in Quinta Distinct. fol. 42. & 43.

2 *Quomodo differt unus Angelus ab alio?* Respondendum est per hoc, quòd quilibet est sua species.

3 *Quae sunt Proprietates Angelorum?* Respondendum est, per Paragrafum de Proprietate Angeli fol. 43.

4 *Quae sunt innata principia Angeli, cum quibus cognoscit?* Respondendum est per Paragrafum de Accidente fol. 44.

**DE QVÆSTIONIBVS ANGELI**  
per Tertiam Distinctionem.

1 **Q**uomodo est substantia Angeli composita? Respondendum est per Cap. de Substantia. fol. 45.

2 *Quae sunt Cause quantitatis Angeli?* Respondendum est per Paragrafum de Quantitate. fol. 45.

3 *Quae sunt objecta, per quae unus Angelus cognoscit alium?* Respondendum est, quòd sint propriae qualitates, quas Angelus habet in sua essentia individuatus; Et vade ad Paragrafum de Qualitate. fol. 45.

4 *Vtrum Angelus sine suis naturalibus relationibus possit habere naturalem scientiam?* Respondendum est negativè. Et vade ad Paragrafum de Relatione Angeli fol. 46.

5 *Vtrum in essentia Angeli sint due relationes differentes numero, una intrinseca, alia extrinseca?* Respondendum est affirmative, per Paragrafum de Actione. fol. 46.

6 *Quid est loquela Angelorum?* Respondendum est per Paragrafum de Passione. fol. 46.

7 *Quomodo est Habitus constitutus in Angelo?* Respondendum est per Paragrafum de Habitu. fol. 47.

8 *Quomodo est Situs constitutus in Angelo?* Respondendum est per Paragrafum de Situ. fol. 47.

9 *Quomodo Angelus existit & agit in Tempore?* Respondendum est per Paragrafum de Tempore. fol. 47.

10 *Quomodo est Angelus in Loco?* Respondendum est per Paragrafum de Loco. fol. 48.

Diximus de Quæstionibus Angelorum,  
& per ea, quæ diximus potest homo  
solvere omnes peregrinas Quæ-  
stiones de An-  
gelis.

DE QUÆS-

255

**DE QVÆSTIONIBVS COELI**  
*per Primam Distinctionem.*

- 1 **V** *Trúm Deus sit Causa efficiens Cæli?*  
Respondendum est affirmative:  
In Cap. de Causa efficiente Cæli. fol. 49.
- 2 *Quomodó est Deus Causa motús Cæli suc-*  
*cessivé?* Respondendum est per Paragra-
- fum de Causa efficiente Cæli. fol. 49.
- 3 *Quomodó est Cælum Compositum ex forma,*  
*& materia?* Respondendum est, per Pa-
- ragrafum de forma, & materia Cæli. fol.
50. N. 3.
- 4 *Vtrúm Deus equaliter sit Causa efficiens*  
*& finalis Cæli?* Respondendum est per Pa-
- ragrafum de fine Cæli. fol. 51.

**DE QVÆSTIONIBVS COELI**  
*per Secundam Distinctionem.*

- 1 **V** *Trúm corpus Cæli sit contractum á*  
*suo genere?* Respondendum est,  
quòd sic. Quia super ipso consistunt gene-
- ralis forma, & materia ex quibus tota sub-
- stantia mundi est constituta; Et vade ad
- Cap.

Cap. de Genere Cœli. fol. 52.

2 *Vtrum Cœlum sit Genus?* Respondendum est per Paragrafum de specie Cœli. fol. 52. N. 2.

3 *Vtrum differentia Cœli sit genus subalternum?* Respondendum est per Paragrafum de differentia fol. 53.

4 *Quæ sunt propria qualitates Cœli?* Respondendum est per Paragrafum de Proprietatibus. fol. 53.

5 *Vtrum in Cœlo sint Accidentia ipsi conaturalia?* Respondendum est per Paragrafum de Accidente Cœli. fol. 53.

## DE QUÆSTIONIBVS COELI PER Tertiam Distinctionem.

1 **V***trum substantia Cœli sit magis individuata, quàm aliqua alia corporea substantia?* Respondendum est affirmativè, secundum Cap. de Substantia Cœli fol. 54.

2 *Vtrum Quantitas Cœli sit indivisibilis?* Respondendum est per Paragrafum de Quantitate. fol. 55.

3 *Cum quibus Causis Causat Cœlum inferiores*



*res qualitates?* Respondendum est per Paragraphum de Qualitate. fol. 55.

4 *Cum quibus Principijs causat Cælum inferiores Relationes?* Respondendum est per Paragraphum de Relatione Cœli. fol. 56.

5 *Per quem modum habet se Cælum ad inferiores Actiones?* Respondendum est per Paragraphum de Actione Cœli. fol. 56.

6 *Cum principia Cœli non exeant eastrâ suam substantiam, quomodó causant inferiores Passiones?* Respondendum est per Paragraphum de Passione. fol. 57.

7 *Cum quo causat Cælum inferiores Habitus?* Respondendum est per Paragraphum de Habitu. fol. 57.

8 *Quomodó est Cælum Situatam?* Respondendum est per Paragraphum de Situ. fol. 58.

9 *Vtrúm Tempus Cœli, & tempus, quod est inferius, sint species temporis? Et sic de motu, in quo successivé consistunt?* Respondendum est per Paragraphum de Tempore. fol. 58.

10 *Vtrúm Cælum sit in Loco?* Respondendum est per Paragraphum de Loco. fol. 38.

Diximus de Quæstionibus Cœli, & per

ea,

ea, quæ diximus potest homo Solvere alias peregrinas Quæstiones factas de Cœlo, tenendo illum modum, quem nos tenuimus.

**DE QUÆSTIONIBVS ELEMENTI per Primam Distinctionem.**

**Q**uid sit magis aptum, ut sit *Causa efficiens*, aut *Deus*, cum suis dignitatibus *faciendo ignem*, an *ignis faciendo aquam calidam cum suis innatis principijs*? Respondendum est, quòd *Deus*, quia suæ dignitates sunt superiores, & innata principia ignis inferiora: Et Vade ad Cap. de *Causa efficiente ignis*. fol. 59.

2 *Vtrum ignis sit altior efficiens calefaciendo aèrem vel aquam*? Respondendum est, quòd calefaciendo aèrem, quia in eo causat generationem; sed calefaciendo aquam causat corruptionem. fol. 59.

3 *De quo sunt forma, & materia ignis*? Respondendum est. *Forma est de tivis*; *Materia verò de bilibus contractis, & individuatis in essentia ignis*. Et vade ad Cap. de

**Causa**

Causa finali, & materiali ignis. fol. 60.

4 *Vtrum ignis sit in sua essentia causa elementorum? Et utrum omnis ignis sit compositus?* Respondendum est affirmativè secundum supradictum Paragrafum.

5 *Vtrum materia prima sit subjectum in quo, & de quo materia consistunt in potentia, & deducuntur in actum?* Respondendum est, quòd sic; aliàs forma prima non haberet subjectum in quòd infunderet particulares formas deductas de sua essentia, & natura. Ibidem.

6 *Vtrum Deus sit simpliciter Causa finalis elementorum?* Respondendum est affirmativè, posito quòd sit eorum Causa efficiens. Et vade ad Paragrafum de Causa finali ignis. fol. 60.

## DE QVÆSTIONIBVS ELEMENTI per Secundam Distinctionem.

1 **V**trum subalterna bonitas ignis sit genus? Respondendum est, quòd sic, secundum Caput de genere ignis. fol. 61.

- 2 *Vtrum elementalis potestas sit generale principium, ut ignis calefaciat aquam, & aqua infrigidet ignem?* Respondendum est, quòd sic. Aliàs destrueretur generalis, & circularis mixtio elementorum, & per consequens eorum motus, quòd est impossibile. fol. 61.
- 3 *Quomodo eadem caliditas ignis transit in plures species elementorum?* Respondendum est per motum Cœli, & connexionem elementorum. Et vade ad prædictum Caput. fol. 62.
- 4 *Vtrum ignis, & aqua differant sub una generali differentia, cum sint opposita?* Respondendum est affirmativè secundum Paragraphum de differentia elementorũ. fol. 62.
- 5 *Vtrum proprietates Dei sint altiores cause effectivè, quàm proprietates elementorum?* Respondendum est affirmativè, quia sunt altiores Cause finalitèr. Et vade ad Paragraphum de Proprietatibus elementorum. fol. 62.
- 6 *Vtrum Proprietates elementorũ causent motus elementorum?* Respondendum est affirmativè. Ibidem.

7 *Vtrum accidentia elementorum sint effectus accidentium elementorum? Respondendum est affirmativè. Per Paragrafum de Accidente. fol. 63.*

8 *Vtrum ignis cum eadem quantitate desiccat tegulam, & liquefaciat ceram? Respondendum est affirmativè; non autem cum eadem qualitate, quia desiccat tegulam cum siccitate, & liquefacit ceram cum calore.*

**DE QUÆSTIONIBVS ELEMENTI per Tertiam Distinctionem.**

1 **V**trum Substantia elementorum sit genus? Respondendum est per Caput de Substantia elementorum. fol. 63.

2 *Vtrum Substantia piperis sit de Substantia ignis, aeris? &c. Respondendum est affirmativè. Aliàs non esset corpus plenum, nec compositum, nec gradatum ex ipsis.*

3 *Vtrum Quantitates elementorum sint sub generali quantitate substantie mundi? Respondendum est affirmativè, juxtà Paragrafum de Quantitate. fol. 64.*

4 *Quomodo est ignis individuatus?* Respondendum est per Paragrafum de Qualitate. fol. 64.

5 *Vtrum Relationes accidentium elementorum sint contractæ, & individuatæ à relationibus accidentium elementorum?* Respondendum est, quòd sic. Aliàs esset decisus, & fractus motus elementorum in descendendo, & ascendendo, & per consequens eorum natura. Et vade ad Paragrafum de Relatione. fol. 65.

6 *Cum calida aqua sit calefaciens, quaeritur. Vtrum calefactibilitas sit ejus propria Passio?* Respondendum est negativè; quia in ipsa, calefaciens, & calefactibile sunt contrariæ relationes.

7 *Vtrum elementalís Actio oriatur ab actione, & Passio à passione?* Respondendum est affirmativè. Aliàs simplicia elementa non essent superius, nec composita, inferius, quòd est impossibile. Et vade ad Paragrafum de actione, & passione. fol. 65.

8 *Vtrum in elementatis, unus habitus componatur cum alio?* Respondendum est affirmativè; per accidens; Aliàs aqua bulliens

non calefaceret sub habitu caliditatis: & sic de alijs respectivè.

9 *Vtrum superiora elementa sint Situata in inferioribus?* Respondendum est affirmativè. Aliàs Situs elementorum non essent constituti de Sitibus elementorum, quòd est impossibile. Et vade ad Paragrafum de Situ.

10 *Vtrum Tempus sit pars elementorum, vel elementorum?* Respondendum est affirmativè per accidens. Cum elementa sint corpora constituta ex forma, & materia, & ex accidentibus. Et vade ad Paragrafum de Tempore. fol. ultimo.

11 *Vtrum unum elementum sit collocatum in aliò?* Respondendum est affirmativè. Aliàs esset destructa mixtio eorum in elementatis, & etiam in eorum spheris; nam ignis, qui est inferiùs non participaret cum superiori igne: & sic de alijs, quòd est impossibile, & contrà motum successionis elementorum. Et vade ad Paragrafum de Loco, fol. 66.

Diximus de Quæstionibus elementorum deductis per Primam, Secundam, & Tertiam Distinctionem; & per eundem modum

per quem ipsas solvimus, potest homo solvere peregrinas Quæstiones.

**DE QUÆSTIONIBVS HOMINIS**  
*per Primam Distinctionem.*

1 **C**UM homo non faciat se ipsum, & corpus, & anima differant specie, & genere, quæritur: *Vtrum aliquod commune ens sit ejus Causa efficiens* Respondendum est affirmativè. In Paragrafo de Causa efficiente hominis. fol. 67.

2 *Vtrum homo sit Causa efficiens peccati?* Respondendum est, quòd sic. Quia Deus est bonus, magnus &c: & sic est Causa efficiens hominis simpliciter.

3 *Quomodo est anima hominis causa corporis?* Respondendum est per Paragrafum de forma, & materia hominis. fol. 68.

4 *Vtrum in homine sit una forma, vel plures?* Respondendum est, quòd sit una, & plures; Una quia est composita ex pluribus formis, scilicet elementativa, vegetativa, sensitiva, imaginativa, & ratiocinativa, qualibet existente propria forma per se; & similiter



militer existentibus una communis forma composita; & sic de materia; simul autem constituunt unum hominem continuatum, & individuatum, qui est substantia magis composita, quàm quælibet alia substantia.

5. *Vtrum Deus sit perfectè Causa finalis hominis?* Respondendum est, quòd sic, posito, quòd sit ejus Causa efficiens.

6. *Vtrum homo sit Causa finalis Cæli?* Respondendum est quòd sic. Et vade ad Paragraphum de fine hominis. fol. 68.

## DE QVÆSTIONIBVS HOMINIS per Secundam Distinctionem.

1. **V***trum homo sit generalis finis subalternatus omnium aliorum corporum?* Respondendum est, quòd sic, quia per hominem alia corpora seruiant Deo.

2. *Vtrum species hominis sit ens reale?* Respondendum est, quòd sic; aliàs homo non participaret realiter cum equo, & Leone in genere, scilicet in animali, quòd est impossibile.

3. *Vtram Differentia, qua est inter corpus,*

¶

*& animam hominis sit sub una differentia?*  
Respondendum est negativè; Nisi quoad  
ens rationis; nam anima non est genita;  
sed creata. Et vade ad Paragrafum de Dif-  
ferentia hominis. fol. 69.

4 *Vtrúm in homine una communis Proprietas  
sit composita ex pluribus Proprietatibus par-  
ticularibus?* Respondendum est, quòd sic;  
Aliàs esset in asino altior communis Pro-  
prietas, quàm in homine, quia in asino  
esset communis Proprietas composita ex plu-  
ribus proprietatibus, scilicet ex proprietate  
vegetativæ, elementativæ, sensitivæ, &  
imaginativæ. Et vade ad Paragrafum de  
Proprietate hominis. fol. 70.

5 *Vtrúm Accidentia corporis; & Anima sin-  
composita in homine?* Respondendum est af-  
firmativè. Aliàs homo non esset unus in suo  
proprio numero: & sequeretur contradictio,  
quòd est impossibile.

**DE QVÆSTIONIBVS HOMINIS**  
*per Tertiam Distinctionem.*

1 **Q** *Vomodó differunt substantia realis,  
& substantia rationis in homine?*

Respondendum est per Caput de substantia hominis. fol. 71.

2 *Vtrum homo sit major substantia mundi?* Respondendum est negative. Posito, quod sit unus intellectus in omnibus hominibus. Et vade ad supradictum Cap.

3 *Vtrum Quantitas hominis sit magis quantita, quam alia quantitas?* Respondendum est affirmativè. Aliàs homo non esset major pars mundi.

4 *Vtrum homo sit magis qualis, quam aliquod aliud individuum?* Respondendum est, quod sic. Et vade ad Paragrafum de Qualitate. fol. 71.

5 *Vtrum homo sit individuum magis relatatum, quam aliquod aliud individuum?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Paragrafum de Relatione hominis. fol. 72.

6 *Vtrum homo sit magis agens naturaliter generando, quam Cælum in homine effectivè?* Respondendum est, quod sic. Per Paragrafum de Actione. fol. 72.

7 *Vtrum homo sit magis passus, quam aliquod aliud individuum?* Respondendum est

affirmativè. Ut patet per Paragrafum de Passione. fol. 72.

8 *Vtrum in homine sit unus Habitus, vel plures?* Respondendum est: unus, vel plures, ut patet per Paragrafum de Habitu hominis. fol. 73.

9 Posito, quòd in homine non esset una forma, sed plures: nec una materia, sed plures, quæritur. *Vtrum homo esset individuatus sub uno situ in numero?* Respondendum est negativè. Et vade ad Paragrafum de situ. fol. 73.

10 *Vtrum homo sit antiquatus in eo nunc, in quo fuit natus?* Respondendum est, quòd sic. Et patet per Paragrafum de Tempore. fol. 73.

11 *Vtrum homo sine Loco sibi proprio, & ab ipso inseparabili sit individuatus?* Respondendum est negativè. Et patet in Paragrafo de Loco. fol. 73.

Diximus de Quæstionibus hominis, & per ea, quæ diximus potest homo solvere peregrinas quæstiones factas de ipso, tenendo modum, quem tenuimus.

**DE QUÆSTIONIBVS BRVTI PER  
Primam Distinctionem.**

- 1 **C**Um brutum non faciat se servi-  
ens homini, nec natura faciat ip-  
sum eidem serviens, quæritur: *Vtrum*  
*Deus sit illius Causa efficiens, causando ip-*  
*sum ad servitium hominis?* Respondendum  
est, quòd sic. Aliàs quòd esset Causa, non  
esset Causa; & hoc est contradictio. Et vade  
ad Cap. de Causa efficiente bruti. fol. 74.
- 2 *Vtrum in bruto sit una communis forma,*  
*& plures?* Respondendum est, quòd sic;  
Et vade ad Paragrafum de forma bruti.  
fol. 74.
- 3 *Vtrum in bruto sit una communis mate-*  
*ria, & plures?* Respondendum est affir-  
mativè; Et patet per Paragrafum de for-  
ma. fol. 75.
- 4 *Vtrum Imaginativa sit altior forma in*  
*bruto, quàm sensitiva?* Respondendum est  
affirmativè. Quia imaginativa movet sen-  
sitivam, & non è contrà.
- 5 Cum brutum non causet coelum, & ip-  
si serviat, nec coelum faciat se causam, cum

non

non sit intelligens, quæritur. *Quare est brutum Causa finalis cæli?* Respondendum est, quòd Deus sit Causa, cum sic se faciat Causam efficientem, sicut se facit Causam finalem omnium entium: & hoc est bonum, magnum &c.

**DE QUÆSTIONIBVS BRVTI PER  
Secundam Distinctionem.**

1 **V** *Trúm in bruto sint plures species, scilicet Leo, equus &c. Et utrúm brutum sit genus?* Respondendum est affirmativè, quoad ens rationis, non quoad ens reale. Et vade ad Cap. de Genere bruti. fol. 76.

2 *Vtrúm brutum, & homo differant per unam communem differentiam?* Respondendum est affirmativè, quoad corpus, non quoad animam.

3 *Vtrúm Proprietates brutorum sint sub una communi proprietate?* Respondendum est affirmativè. Et patet per Paragrafum de Proprietate. fol. 76.

4 *Cum brutum non sit rationans, quare est artifex,*

*artifex, vel mechanicum, sicut avis, quæ facit suum nidum?* Respondendum est; Deus est Causa causans industriam bruti, ut brutum evitet malum, & multiplicet suam speciem, & hoc per imaginationem; nam sicut homo per animam est rationans: sic est brutum per imaginationem imaginans, ut attingat illum finem, qui ipsi convenit, sine quo fine non posset vivere.

**DE QVÆSTIONIBVS BRVTI PER  
Tertiam Distinctionem.**

1 **V** Trúm substantia bruti sit in sensu hominis? Respondendum est negativè. Quia sensus hominis non cognoscit individuatam substantiam bruti.

2 *Quomodo est Quantitas divisa per species, & numeros brutorum?* Respondendum est per Paragrafum de Quantitate bruti. fol. 78.

3 *Quare participant homo, & brutum in Qualitatibus?* Respondendum est, quia homo quoad corpus participat cum bruto in genere innatorum principiorum. Et vade

ad

ad Paragrafum de Qualitate. fol. 79.

4 *Vtrum innata principia brutorum habeant correlativa per se ipsa, scilicet bonitas, bonificans, bonificabile, bonificare; & sic de magnitudine &c?* Respondendum est affirmativè. Aliàs Imaginatio eorum non haberet correlativa, scilicet *Imaginans, Imaginabile, & Imaginari*: & sic de sensu, in quo non esset *sentiens, sensibile, & sentire*. Et vade ad Paragrafum de Relatione. fol. 79.

5 *Quare unum brutum habet actionem supra aliud sicut lupus supra capram, & magni pisces super parvos?* Respondendum est per innata principia; Nam est bonum, magnum &c. Et omnia ista sunt ordinata per primum factorem, qui facit, & ordinat omnia propter finem. Nam non est aliquid in mundo, in quo Deus non agat propter finem, cum sit agens, & finis universalitèr.

6 *Vtrum brutum requirat Habitum, sub quo habeat industriam ad vivendum?* Respondendum est affirmativè. Sicut gallina que nutrit pullos ad vivendum, qui habitus pullorum fuit *in potentia* dum animalia erant *in potentia* in ovo; & ille habitus acquisitus



quisitus est factus à Deo, & non à natura pulli; nam natura pulli non habet intellectum in creando acquisitum habitum, dum habitus est in potentia.

7 *Vtrum idem Situs pulli fuerit in ovo in potentia?* Respondendum est, quòd sic. Nam substantia pulli non potest esse in ovo in potentia sine individuatis accidentibus inseparabilibus ab illa. Et vade ad Paragrafum de Situ. fol. 80.

8 *Vtrum pullus existens in actu fuerit in Tempore, dum erat in ovo in potentia?* Respondendum est affirmativè; aliàs *tempus non esset per successivum motum*, quòd est impossibile. Et vade ad Paragrafum de Tempore. fol. 80.

9 Posito quòd Locus pulli non sit ejus pars inseparabilis ab illo, *Vtrum ipse potuisset esse in potentia in ovo?* Respondendum est negativè, quia substantia pulli sine suis accidentibus individuatis non potuit esse in ovo in potentia. Et vade ad Paragrafum de Loco bruti. fol. 81.

Diximus de Quæstionibus Bruti deductis per Primam Secundam, & Tertiam Distinctionem;

inctionem ; & per ea, que diximus potest homo solvere peregrinas quæstiones factas de Bruto, tenendo modum, quem tenuimus.

*DE QUÆSTIONIBVS VEGETATI per Primam Distinctionem.*

1 **C**Um una planta faciat aliam generando, & deducendo ipsam de potentia in actum, quæritur: *Vtrum Deus sit Causa efficiens illius potentia?* Respondendum est affirmativè. Aliàs primitivitas factionis Dei non esset in superlativo gradu. Et vade ad Cap. de Causis efficientibus vegetati. fol. 82.

2 *Vtrum Deus moveat granum seminatum, & ipsum moveat formam, & materiam, ut moveatur planta de potentia in actu?* Respondendum est affirmativè. Aliàs Deus non esset primus motor; quòd est impossibile.

3 *Vtrum una planta sit Causa finalis alterius planta propter se, vel propter aliud?* Respondendum est quòd sit Causa finalis propter se alternatim, cum multiplicet suam speciem: sic Deus maximè est finis in

superlativo gradú permanens. Et vade ad Paragrafum de Causa finali vegetati. fol. 83.

4 Cum planta sit propter hominem, & non eontrà *Vtrúm homo se faciat finem planta?* Respondendum est negativè, quia non habet posse ad hoc, sicut non potest causare in ariete lanam, nec in lapide flammam, nec ferrum, quæ sunt propter hominem; Deus autem Causat quòd sint propter finem hominis.

## DE QVÆSTIONIBVS VEGETARI per Secundam Distinctionem.

1 **Q**uomodo est vegetativa generalis, & diffusa per species usque ad individua? Respondendum est per Cap. de Genere vegetati. fol. 83.

2 Quomodo sunt in generali differentia plures particulares differentia in potentia? Respondendum est per Paragrafum de differentia. fol. 84.

3 *Vtrúm omnes Proprietates plantarum sint ab una Proprietate generalitèr?* Respondendum

dum est, quòd sic. Aliàs motus naturæ non posset se habere per unum ad plura. Et vade ad Paragrafum de Proprietate fol. 84.

4 *Vtrum pirus inserta in pomario se possit multiplicare á pomario? Respondendum est negativè Cum pirus sit sicca, & pomarium humidum; sed quia conveniunt in genere, scilicet in frigiditate, potest pirus transmutare materiam influentem pomi in suam speciem, & hoc per accidens. Et vade ad Paragrafum de accidente. fol. 85.*

*DE QVÆSTIONIBVS VEGETATI per Tertiam Distinctionem.*

1 **V***trum Substantia plantæ possit esse una, absque eo, quòd non sint in ipsa plura? Respondendum est negativè, per Paragrafum de Substantia vegetati. fol. 85.*

2 *Quomodo planta crescit, & decrescit? Respondendum est per Paragrafum de Quãtitate. fol. 86.*

3 *Quare sunt in plantis plures diversa, &*

*contrariae qualitates, scilicet calor, & frigus, dulcedo, & amaritudo?* Respondendum est, quia Deus est Causa efficiens, & finalis generationis, & corruptionis. Et vade ad Paragrafum de Qualitate. fol. 86.

4 *Quae sunt causa relationum vegetabilium?* Respondendum est, Deus, & innata principia vegetatorum. Et vade ad Paragrafum de Relatione. fol. 86.

5 Cum animal sit superius & planta inferius quaeritur: *Quare habent planta actiones, & passiones animalibus per cibum, & potum?* Respondendum est, quia conveniunt in genere per qualitatem cum animalibus? Et vade ad Paragrafum de Actione, & Passione. fol. 87.

6 *Vtrum planta sub proprio habitu agat per suam speciem, scilicet pomarium, pomum: rosarium, rosam &c?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Paragrafum de Habitu. fol. 87.

7 *Quare habent planta varios Situs?* Respondendum est per Paragrafum de Situ. fol. 87.

8 *Quomodo consistit Tempus in planta per*

*continuatum motum?* Respondendum est per Paragrafum de Tempore. fol. 88.

9 *Vtrúm elementa sint collocata in plantis, & é conuerso?* Respondendum est, quòd sic; ut patet per Paragrafum de Loco. fol. 88.

Dictum est de Quæstionibus vegetabilium deductis, per Primam, Secundam, & Tertiam Distinctionem; & per ea, quæ de ipsis dicta sunt, potest Artista hujus Artis respondere ad peregrinas quæstiones factas de vegetabilibus.

## DE QUÆSTIONIBVS METALLI *per Primam Distinctionem.*

I **C**UM homo naturalitèr se non faciat Causam Metallorum; sed artificialitèr, quæritur. *Vtrúm Deus sit causa efficiens Metallorum?* Respondendum est, quòd sic. Aliàs esset homo eorum Causa finalis realitèr, & naturalitèr, quòd est contradictio: igitur Deus est Causa efficiens illorum, & vade ad Caput de Causa efficiente Metallum fol. 89.

2 *Vtrum Metallum extra suam propriam formam, & materiam possit individuari, & reduci de potentia in actum?* Respondendum est negativè. Per paragrafum de materia, & forma. fol. 90.

3 Posito, quòd homo nō esset, *Vtrum finis Metallorum esset annihilatus, & deformatus* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Paragrafum de fine Metallum fol. 90.

**DE QVÆSTIONIBVS METALLI**  
*per Secundam Distinctionem.*

1 **V***trum Metallum sit genus?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de Genere Metallum. fol. 91.

2 *Vtrum species Metallorum, & lapidum participant in genere, hoc est in innatis Principijs?* Respondendum est affirmativè. Aliàs non participarent in fine hominis, sine quo essent frustra; quod est impossibile. Et vade ad Cap. de Genere, & Specie. fol. 92.

3 *Vtrum species Metallorum, & lapidum differant sub una generali differentia?* Respondendum est affirmativè. Aliàs species

non

non participarent in genere per differentiam, quod est impossibile.

4 *Vtrum species Metallorum, & lapidum participant in genere Proprietatis? Respondendum est affirmativè. Aliàs Metallum esset genus sine generali Proprietate, quod est impossibile.*

5 *Vtrum Accidentia Metallorum sint inseparabilia ab eis? Respondendum est affirmativè. Quia Metalla cum accidentibus existunt naturalitèr in potentia, antequam artificialitèr per hominem sint deducta in actum; Et vade ad Paragrafum de Accidente Metallum fol. 92.*

*DE QUÆSTIONIBVS METALLI  
per Tertiam Distinctionem.*

1 *Vtrum Substantia Metallum extrá suam naturalem compositionem possit individuari artificialitèr? Respondendum est quòd non. Et vade ad Cap. de Substantia Metallum fol. 92.*

2 *Vtrum Metalla sint extrá generalem Quantitatem eis coessentialem? Respondendum*



dum est, quòd non. Aliàs species in quibus sunt, essent sine genere, quòd est impossibile.

3 *Vtrùm Qualitates Metallorum sint inseparabiles, & immutabiles?* Respondendum est affirmativè. Aliàs non essent individua-  
ta ab innatis Principijs.

4 *Vtrùm Alchymia sit scientiæ realis, vel figmentum?* Respondendum est, quòd sit figmentum; Et vade ad Paragrafum de Relatione Metallorum. fol. 94.

5 *Vtrùm sit possibile, quod per Alchymiam, naturales Actiones, & Passiones elementorum mutantur in alias species?* Respondendum est negativè, per Paragrafum de Actione, & Passione Metallorum. fol. 94.

6 *Quomodò Alchymista habeant Habitum phantasticum?* Respondendum est per Paragrafum de Habitu. fol. 95.

7 *Vtrùm Situs Metallorum sit mutabilis?* Respondendum est negativè; Realiter sed sic quoad ens rationis, artificialitèr; nam rotunditas floreni non est ipsi propria circulatio; Sed per accidens. Nam sicut est, & potest esse sub Situ rotunditatis: ita potest esse sub Situ Triangularitatis. Et vade ad

Pa-

Paragrafum de Situ Metalli. fol. 95.  
 8 *Vtrum Alchymista possit transmutare successione[m] temporis in Metallis?* Respondendum est negativè secundum Paragrafum de Tempore. fol. 95.

9 *Vtrum Alchymista possit mutare proprium locum cujuslibet Metalli?* Respondendum est negativè, & patet in Paragrafo de Loco. fol. 96.

Diximus de Quæstionibus Metallorum per Primam, Secundam, & Tertiam Distinctionem, & per ea, quæ de ipsis diximus potest Artista hujus Artis respondere ad Peregrinas Quæstiones factas de Metallis.

### *DE QVÆSTIONIBVS ARTIFICIJ.*

**Q**uæstiones Artificij intendimus facere quatuor modis secundum quòd Artificium est divisum in quatuor Partes; & primo de Quæstione Justitiæ.

### *DE QVÆSTIONIBVS JUSTITIÆ* *per Primam Distinctionem.*

**V***trum Justitia sit factibilis á Deo sic, quoad suam bonitatem, magnitudi-*

*nem &c. sicut est bonum, magnum &c. quod ipse sit Causa finalis Justitiæ? Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de Causis Justitiæ formalis, & materialis. fol. 97*

2 *Quid est Forma, & materia Justitiæ? Respondendum est per hoc, quòd est significatum in Paragrapho de Causa formali, & Materiali Justitiæ. fol. 97.*

3 *Quid est finis Justitiæ? Respondendum est per Paragraphum de Causa finali. fol. 98.*

## *DE QUÆSTIONIBVS JUSTITIÆ per Secundam Distinctionem.*

1 **V***Trùm Justitia sit genus? Respondendum est per Cap. de Genere ejus. fol. 98.*

2 *Vtrùm species Justitiæ sint sub una communi Justitia? Respondendum est affirmativè, scilicèt sub Justitia Dei, quæ est Causa efficiens, & finalis omnium Justitiarum.*

3 *Quomodò debet Judex distinguere inter Justitiam, & Justitiam? Respondendum est secundùm Paragraphum de differentia Justitiæ. fol. 99.*

4 *Ex quibus Proprietatibus oritur Justitia?*  
Respondendum est per Cap. de Proprietate.  
fol. 99.

5 *Cum Justitia sit accidens, quomodo crescit,  
& decrescit?* Respondendum est per Para-  
grafum de Accidente Justitiæ. fol. 100.

*DE QVÆSTIONIBVS JUSTITIÆ  
per Tertiam Distinctionem.*

1 **Q**uomodo oritur substantia à Justitia?  
Respondendum est per Cap. de  
Substantia Justitiæ fol. 100.

2 *Vtrum Justitia sit Quanta?* Et si sit quan-  
ta; Quomodo est quanta? Respondendum  
est per Paragrafum de Quantitate. fol. 100.

3 *Vtrum Qualitates Justitiæ sint sensibiles,  
& imaginabiles?* Respondendum est, quod  
non *objectivè*, sed solum *subjectivè* per extrin-  
secum subjectum. Et Vade ad Paragrafum  
de Qualitate. fol. 101.

4 *Quomodo Relationes Justitiæ sunt indivi-  
duate?* Respondendum est per Paragrafum  
de Actione, & Passione. fol. 102.

5 *Quæ sunt Actiones, & Passiones Justitiæ?*

Respondendum est per Paragrafum de Actione, & Passione. fol. 102.

6 *Utrum in Justitia sint plures diversi Habitus?* Respondendum est affirmativè, quia justus agit per unum habitum de scientia Juris, & per alium de actu virtutum, scilicet *Prudentia, Fortitudinis &c.*

7 *Quomodo Justitia sit in successivo Tempore, cum sit continuatus habitus?* Respondendum est per Paragrafum de Tempore. fol. 103.

8 *In quo Situ est Justitia situata?* Respondendum est per Paragrafum de Situ. fol. 103.

9 *In quibus Locis consistat Justitia?* Respondendum est per Paragrafum de Loco. fol. 104.

**DE QUÆSTIONIBVS AVARITIÆ**  
*per Primam Distinctionem.*

1 **V** *Utrum homo æqualitèr Causet Avaritiam cum potentijs anima?* Respondendum est affirmativè, quia Largitas æqualitèr cum potentijs Animæ est in potentia; & etiam cum innatis principijs. Et vade

vade ad Paragrafum de Causa Avaritiæ. fol. 105.

2 *Vtrum Avaritia sit Forma difformans largitatem?* Respondendum est per Paragrafum de Forma avaritiæ. fol. 106.

3 *Quæ sit Materia Avaritiæ?* Respondendum est per Paragrafum de materia. fol. 106.

4 *Vtrum Deus sit Causa finalis Avaritiæ?* Respondendum est negativè; Quia est Causa efficiens, & finalis largitatis; Aliàs Justitia, & largitas non distarent simpliciter à peccato, quòd est impossibile. fol. 107.

**DE QVÆSTIONIBVS AVARITIÆ**  
*per Secundam Distinctionem.*

1 **V** *Vtrum Avaritia sit genus? Et si sit, Quæ sunt ejus species?* Respondendum est per Cap. de Genere, & specie. fol. 108.

2 *Vtrum inferiores potentie equaliter disponant Avaritiam?* Respondendum est affirmativè, quia æqualiter consistunt sub una generali differentia. Et vade ad Paragrafum de differentia. fol. 109.

3 *Vtrum Avarus homo sit proprié avarus?*  
Respondendum est per Paragrafum de Proprietate. fol. 109.

4 *Vtrum Avaritia sit Accidens, quód convenit cum esse?* Respondendum est negativè; Quia inclinat hominem ad non esse; Et vade ad Paragrafum de Accidente. fol. 109.

**DE QVÆSTIONIBVS AVARITIAE per Tertiam Distinctionem.**

I **Q**uomodo oritur Avaritia á Substantia? Respondendum est per Cap. de Substantia Avaritiæ. fol.

110.

2 *Quomodo est Avaritia Quanta?* Respondendum est per Paragrafum de Quantitate. fol. 110.

3 *Quomodo est Avaritia de genere Qualitatis?* Respondendum est per Paragrafum de Qualitate. fol. 111.

4 *Quomodo est Avarus eó magis avarus, quó magis multiplicat divitias?* Respondendum est per Paragrafum de Relatione. fol.

111.

5 *Quomodo est Avarus Agens, & Patiens?* Respondendum est per Paragrafum de Actione, & Passione. fol. 112.

6 *Quomodo decipit Avarus se ipsum, cum Avaritia?* Respondendum est per Paragrafum de Habitu. fol. 112.

7 *Quomodo reputat Avarus largum hominem stultum?* Respondendum est per Paragrafum de Situ. fol. 113.

8 *Quomodo consistit Avaritia in Tempore successive?* Respondendum est per Paragrafum de Tempore. fol. 113.

9 *Vbi est Avarus avarus?* Respondendum est per Paragrafum de Loco. fol. 113.

*DE QVÆSTIONIBVS ARTIFICIJ Liberalis per Primam Distinctionem.*

1 **V**trum scientiam, quam homo habet de Deo sit magis facta ab hominibus, quam a Deo? Respondendum est a Deo. Et vade ad Cap. de Causis scientiæ. fol. 114.

2 *Vtrum intellectus faciat scientiam de Separatis, vel abstractis cum superioribus potentijs*



*entijs extrá superiores potentias?* Respondendum est affirmativè, quia ens rationis est alius cum superioribus potentijs, quàm cum inferioribus. Et vade ad Paragrafum de Forma. fol. 115.

3 *Vtrúm intellectus agens sit intelligens?*  
*Et Vtrúm intellectus possibilis sit ejus propria passio?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Paragrafum de Materia. fol. 116.

4 *Vtrum homo sit finis scientiæ?* Respondendum est per Paragrafum de Fine fol. 116.

## DE QVÆSTIONIBVS ARTIFICIJ Liberalis per Secundam Distinctionem.

1 **V** *Vtrúm intellectus sit particulatus?*  
*Et utrúm sit generalis ad faciendũ scientias de abstractis?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de Genere. fol. 117.

2 *Vtrum intellectus intelligendo sentiat, & imaginetur species?* Respondendum est negativè. Et vade ad Paragrafum de specie. fol. 118.

3 *Vtrúm intellectus habeat in se differentias?*

*tias* ? Respondendum est affirmativè. Aliàs non haberet correlativa sibi coessentialia innata, & realia. fol. 118.

4 *Vtrum intellectus habeat proprias qualitates* ? Respondendum est affirmativè. Et vade ad Paragrafum de Accidente proprio. fol. 118.

5 *Vtrum intellectus cum suis intrinsicis Accidentibus cognoscat extrinseca accidentia* ? Respondendum est affirmativè. Et vade ad Cap. de Accidente communi. fol. 119.

## DE QVÆSTIONIBVS ARTIFICIJ Liberalis per Tertiam Distinctionem.

1 **Q**uomodo accipit intellectus substantiam, quoad ens rationis ? Respondendum est per Paragrafum de substantia. fol. 120.

2 *Quomodo facit intellectus scientiam de Quantitatibus* ? Respondendum est per Paragrafum de Quantitate. fol. 120.

3 *Quomodo facit se Physicum* ? Respondendum est per Paragrafum de Qualitate. fol. 121.

4 *Quomodo' causat intellectus legalem scientiam?* Respondendum est per Paragrafum de Relatione fol. 121.

5 *Quomodo' facit intellectus scientiã de Actionibus, & Passionibus?* Respondendũ est per Paragrafũ de Actione, & Passione. fol. 121.

6 *Vtrum' Habitus scientiarum, quas intellectus facit, sint sensibiles, & imaginabiles?* Respondendum est negativè Quia quilibet habitus est genus; genus autem non est sensibile, nec imaginabile.

7 *Quomodo' intellectus se facit generalem ad omnes scientias?* Respondendum est, per Paragrafum de Situ. fol. 122.

8 *Quomodo' facit intellectus scientiam de Tempore?* Respondum est per Paragrafum de Tempore. fol. 123.

9 *Vtrum' essentia Loci sit sensibiles, & imaginabilis?* Respondendum est, negativè. Et vade ad Paragrafum de Loco. fol. 123.

## DE QVÆSTIONIBVS ARTIFICIJ Mechanici per Primam Distinctionem.

I **C**arpentarius faciens arcam est Causa efficiens; modò quero, *Vtrum*

*Deus sit magis Causa efficiens arca, quàm Carpentarius?* Respondendum est affirmativè. Et vade ad Paragrafum de Causis Artificij Mechanici. fol. 124.

2 *Pictor pingit in Pariete imaginem equi, leonis &c. modò quèro, Vtrùm ipse se faciat Méchanicum?* Et si ita sit, *Vtrùm ipse se faciat finem imaginis?* Et si dicatur, quòd sic, quia se facit finem propter lucrum, quèro, *Vtrùm Deus se faciat magis efficientem, quàm ille?* Respondendum est affirmativè, quia se facit magis finem ipsius imaginis, quàm Pictor cum Deus sit superior finis, & Pictor subalternatus. Ibidem.

3 *Vtrùm pictor faciat materiam imaginis de coloribus ipsius imaginis?* Et si dicatur, sic per accidens, quæro, *Vtrùm faciat formam imaginis?* Si dicatur, quod non, sed figuram, quæro, *Utrùm Deus sit magis Causa efficiens, quoad materiam, & figuram, quàm ipse pictor.* Et si dicatur, quòd sic, necessariò sequitur, quòd sit magis Causa finalis ipsius materiæ, & figuræ, quàm pictor; aliter non.

4 *Cum arca antequam deducatur de potentia*

rentia in actum sit in potentia, quæro  
*Vtrum sit magis in potentia per Deum, quam  
 per Carpentarium?* Respondendum est per  
 Deum, quia Carpentarius non est Causa  
 essentiaæ arcæ. Et vade ad Paragrafum de  
 forma, & materia. fol. 126.

5 *Quomodó est finis successivus, ratione cu-  
 jus Carpentarius facit arcam?* Responden-  
 dum est per Paragrafum de fine. fol. 127.

## DE QVÆSTIONIBVS ARTIFICIJ Mechanici per Secundam Distinctionem.

1 **V** *Trum Ars Mechanica sit Genera-  
 lis?* Et si dicatur quòd sic, quæro  
*Quomodó est Generalis?* Respondendum est  
 per Paragrafum de Genere Artificij. fol.  
 127.

2 *Vtrum Differentia, quas Mechanicus cau-  
 sat sint simpliciter per ipsum causata?* Res-  
 pondendum est negativè: Quia Deus est  
 primus in causando differentias, quia de-  
 ducit eas in potentia in subiecto in quo sunt.  
 Et vade ad Paragrafum de differentia.  
 fol. 128.

3 *Quomodo Proprietates, quas Mechanicus acquirit sunt Causæ Artis Mechanicæ? Respondendum est per Paragrafum de Proprietate. fol. 128.*

4 *Vtrum Ars Mechanica sit extrá Accidentia? Respondendum est negativè. Quia ejus essentia nihil est, quàm accidens. Et vade ad Paragrafum de Accidente. fol. 128.*

**DE QUÆSTIONIBVS ARTIFICIJ  
Mechanici per Tertiam Distinctionem.**

1 **Q**uomodo extrahit Artifex Artem Mechanicam á substantijs per Accidentia? Respondendum est per hoc quòd patet in Cap. de substantia Artificij Mechanici. fol. 129.

2 *Vtrum Quantitas sit subjectum artificiatum, cum sit accidens? Respondendum est affirmativè; Veruntamen est subjectum per accidens. Et vade ad Paragrafum de Quantitate. fol. 129.*

3 *Cum Qualitates Artis Mechanicæ sint per secundarias intentiones, quæritur, Vtrum bonitas navis, & sic de alijs sit creatura?*

*tura?* Respondendum est affirmativè. Aliàs Mechanicus faciens navem, esset creator, quòd est impossibile. Et vade ad Paragrafum de Qualitate. fol. 130.

4 *Qua sunt Relationes Artis Mechanice?* Respondendum est per Paragrafum de Relatione. fol. 130.

5 *Quomodò causat Mechanicus Actiones, & Passiones in sua Arte?* Respondendum est per Paragrafum de Actione, & Passione. fol. 131.

6 *Vtrùm Habitus Mechanici sit acquisitus in instanti, vel successivè?* Respondendum est quòd successivè. Quia non potest acquiri sine motu. Et vade ad Paragrafum de Habitu. fol. 131.

7 *Quomodò est Situs in Arte Mechanica acquisitus, & exemplificatus?* Respondendum est per Paragrafum de Situ. fol. 132.

8 *Quomodò consistit castrum in Tempore, dum est in factò esse?* Respondendum est per Paragrafum de Tempore. fol. 132.

9 *Qui sunt Loci Artis Mechanicae?* Respondendum est per Paragrafum de Loco hujus subjecti. fol. 133.

Dixi-

Diximus de Quæstionibus Artificij Me-  
chanici, per quas homo potest solvere pere-  
grinas quæstiones factas de Artificio Me-  
chanico.

Finitus est Liber, seu Ars; Et dicitur Ars,  
quia artificialitèr in ea venatur Ens reale,  
& Ens rationis per omnes ejus Dictinctio-  
nes in quibus, scilicet in Ente reali, & in  
Ente rationis omnia consistunt: & etiam in  
ipsis Distinctionibus omnia sunt implicata.

Ad laudem, & honorem Dei finivit Ray-  
mundus istum Librum Avenione mense De-  
zembri, dum ibi erat Generale Con-  
cilium factum per Dominum Pa-  
pam Clementem Quintum Anno  
MCCCXI. Incarnationis Nostri  
Domini Jesu-Christi Amen.

Iste est ~~per~~ Paragrafus qui deficit, *de Ele-  
mento per Tertiam Distinctionem.*

8 Elementum, vel elementatum est in  
Tempore, & tempus est sustentatum in ipso,  
& ipsum tempus in subjecto, in quo est,  
Est per motum subjecti successivum, hoc  
est de uno instanti in aliud, & hoc realitèr,  
& per id est ens rationis vera scientia.



*LECTOR BENEVOLE.*

**L**ibri hujus, unum tantum exemplar hìc repertum est, si igitur aliquid diminutè scriptum offendatur, venia detur: & castigatiora exemplaria consulantur, rogo,

## LIBRI LAMENTATIONIS PHILOSOPHIAE.

In Prologo Fol. 5. lin. 8. acciperent, lege acciperet.

Fol. 43. lin. 8. & 9. Sencibiles, lege Sensibiles.

Fol. 57. lin. 13. Coufusum, lege Confusum.

## LIBRI DE ENTE REALI, ET RATIONIS.

Fol. 5. lin. 17. ipsum. lega ipsam

Fol. 9. lin. 14. rationis reale. le. rationis, reale.


Fol. 10. lin. 7. extrá lege ultrá.

Fol. 67. Numero 8. lege 9.

Paragrafus 8. qui deficit híc est in fine Libri, ante errata.



BIBL. PUBL. MALLORCA



1056175

R. Lull 167

(c) 2006 Ministerio de Cultura

0  
N  
N

1801  
1802  
1803  
1804  
1805  
1806  
1807  
1808  
1809  
1810  
1811  
1812  
1813  
1814  
1815  
1816  
1817  
1818  
1819  
1820  
1821  
1822  
1823  
1824  
1825  
1826  
1827  
1828  
1829  
1830  
1831  
1832  
1833  
1834  
1835  
1836  
1837  
1838  
1839  
1840  
1841  
1842  
1843  
1844  
1845  
1846  
1847  
1848  
1849  
1850  
1851  
1852  
1853  
1854  
1855  
1856  
1857  
1858  
1859  
1860  
1861  
1862  
1863  
1864  
1865  
1866  
1867  
1868  
1869  
1870  
1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880  
1881  
1882  
1883  
1884  
1885  
1886  
1887  
1888  
1889  
1890  
1891  
1892  
1893  
1894  
1895  
1896  
1897  
1898  
1899  
1900

R.  
Lull  
167